


BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
43
4 A
7



GENERALIS
TEMPORUM NOTIO
Breviſſimè exhibens
VICISSITUDINEM
RERUM HUMANARUM
AB ORBE CONDITO
uſque ad Ætatem noſtram,


AUCTORE
PETRO LUDOVICO DANES
CASLETANO,
Sacræ Theologiæ in Alma Univerſitate Lovanienſi Doctore, Eccleſiæ Cathedralis Iprenſis Canonico Graduato, Pœnitentiario, & Seminarii Epiſcopalis ibidem Præſide.






VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

MDCCXLIX.
Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.





PRÆFATIO.



UM olim mitteretur à Deo Moyses in Ægyptum, ut fratres suos Israelitas dura servitute pressos in libertatem revocaret, *Ecce*, ajebat Deo, *ego vadam ad* Exod. 3. 13.
Filios Israel, & dicam eis: Deus patrum & seqq.
vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: quod est NOMEN *ejus? quid dicam eis?*
dixit Deus ad Moysen: EGO SUM QUI ὁ ὤν.
SUM. *Ait: sic dices filiis Israel:* QUI LXX.
EST, *misit me ad vos*. Et mox infrà subjungit. *Hoc* nomen *mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem*. Nullum utique præ hoc nomen est, quod inter vitæ hujus mortalis tenebras pleniorem nobis divinitatis notionem ingerat. Designat enimverò fontem & caussam totius *esse*: designat *esse illimitatum* totam in se complectens essendi plenitudinem, *esse immensum, immutabile, æternum* interminabilem vitam *totam simul* & perfectissimè possidens, ut quidem ut nostro con-

cipiendi modo reliqua inde divinitatis attributa dimanent. In eandem sententiam dicebat Deo Propheta Regius:
Psal. 89.2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à sæculo & usque in sæculum* TU ES *Deus*. Considerans autem stabilem illam Dei creatoris nostri æternitatem, quæ citra transmutationem omnem, omnemque vicissitudinis
Jac. 1. 17. obumbrationem omnibus temporibus commensuratur, simplicitate sua complectens omnia, omniaque transcendens,
Ibid. ℣. 4. paulo post subjungit: *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit*; quod repetens & explicans Apostolorum Princeps Petrus,
2. Petr. 3. 8. sic ait: *Unum verò hoc non lateat vos charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus*. Ille ergo EST, & *solus verè est*, qui *necessariò*, & *semper idem*, semperque tranquillus est. Quid contrà nos
Psal. 102. 14. sumus? Verbis Prophetarum, & quotidiana experientia nostra clarissimè elucescet. *Recordatus est*, inquiebat David, *quoniam* PULVIS *sumus; homo sicut* FOENUM *dies ejus, tamquam* FLOS AGRI *sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, &* NON SUBSISTET, *&*
Eccl. 1. 4. *non cognoscet amplius locum suum. Generatio*, inquit Sapiens, *præterit, & generatio advenit*, id quod usque adeò verum est ut fœno primum nascenti, mox virenti, paulo post, succiso nationes

nes & populi ab *Isaia* rectissime comparentur. *Vox dicentis: clama. Et dixi: quid clamabo?* OMNIS CARO FOENUM, *& omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit in eo.* VERE FOENUM EST POPULUS: *exsiccatum est fœnum & cecidit flos: verbum autem Domini nostri manet in æternum.* Nusquam nobis ea veritas luculentius patescit, quàm in serie Chronologica, sive compendiosa temporum ratione, quæ humanarum rerum alternationes, ac præsertim succedentium sibi *imperiorum regnorumque vicissitudines* exhibet. Eo spectat generalis hæc & brevissima temporum notio, quam tuis commodis, benevole lector, offerimus. Sive Historiæ & Chronologiæ studio operam jam inde impenderis, sive id facere nondum inceperis, adjumenti aliquid adferre tibi poterit succincta hæc series Chronologica. Si primum, refricabit conservabitque rerum antea perceptarum memoriam; si posterius, generalem quamdam rerum in orbe gestarum, temporumque, quibus notabiliores in humano genere vicissitudines contigerunt, notitiam ingeret, qua saltem graviores *Anachronismi*, id est, errata circa rationem temporum, quibus eventus memorabiles ad alia prorsus, quam quibus contigerunt, tempora referuntur (id quod viros literatos non mediocriter dedecet,) evitentur.

Isai. 40. 6.

Cognitio hæc, quantumvis exilis adhuc & obſcura, non parum commodi & facilitatis adferet *Hiſtoriæ* tum ſacræ tum profanæ utiliter pervolvendæ. Conferet etiam frequens & attenta hujus viciſſitudinis meditatio, ut admirari diſcas perpetuam veræ religionis ſtabilitatem, ſapientiſſimamque divinæ providentiæ, cuncta hæc adminiſtrantis gubernationem, ita ut cum pſalte regio Deum alloqui conſueſcas: *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt Cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* TU AUTEM IDEM IPSE ES, ET ANNI TUI NON DEFICIENT.

Pſal. 101. 26.

Si quod tuæ utilitatis amore in lucem jam profertur opuſculum, tibi, amice lector, non diſpliceat, incitamento id eſſe poterit, ut in tua pariter commoda, Deo benè volente, poſthac edamus prolixiores *Tabulas Hiſtorico-Chronologicas*. Patriarcharum, Pontificum, Regum, Dynaſtarum, urbium, rerum, virorumque illuſtrium ab orbe condito ad hæc tempora noſtra, per ſingula ſæcula, concinno ad juvandam memoriam ordine diſtributas, quæ velut viæ duces lampadeſque eſſe poſſint hiſtoriis omnibus, ſive generalibus, ſive particularibus, ſive eccleſiaſticis, ſive profanis, diſtincte utiliterque evolvendis.

GENE-



GENERALIS
TEMPORUM NOTIO
AB ORBE CONDITO usque ad annum MDCCXX.VI.

§. I.

PRIMA *Temporum* DIVISIO *per VII. mundi Ætates.*



TEMPUS omne quod ab orbe condito hucusque fluxit, ac porro fluxurum est usque ad mundi finem, in VII. Ætates dispescitur, post quas *octavam* præstolamur in Cœlo, ubi quæ * *ab æterno* fuit *misericordia Domini, usque in æternum* futura est *super timentes eum.*

Notavimus * alibi magnam esse inter Hebræos Græcosque SS. Bibliorum codices in annorum numero differentiam; qui illos in supputandi ratione sequendos putant, ab ortu mundi usque ad Natalem Christi salvatoris, annos numerant circiter quater mille: Qui verò hac in parte Græcos LXX. interpretum codi-

**Psal. 102. 26.*

** Institut. p. 1. sect. 1. cap. 7. q. 8.*

codices sinceriores existimant, annos numerant plures quinquies mille. *Eusebius* & cum ipso *Martyrologium Romanum* statuunt 5190. *Clemens Alexandrinus* 5624. *Pezronius* in antiquitate temporum restituta demonstrare contendit computandos esse 5872. Quia autem nostrum non est tantas componere lites, calculum exhibebimus, qui hoc tempore inter recentiores chronologos præ cæteris videtur esse receptior.

Prima itaque mundi Ætas ab *Adamo* usque ad universale *Diluvium* annos complectitur 1656.

II. à *Diluvio* usque ad *vocationem Abrahami*. 426.

III. à *Vocatione Abrahami* usque ad *Exodum*. 430.

IV. ab *Exodo* usque ad *jacta Salomonici Templi* fundamenta, anno quarto Salomonis. 480.

V. à fundatione *Templi*, usque ad finem captivitatis Babylonicæ, & restitutam à *Cyro* libertatem. 474.

VI. à libertate per *Cyrum* data usque ad verum * *Christi* natalem 534.

4000.

VII. ab *Adventu Salvatoris*, usque ad consummationem sæculi decursura est, in qua hucusque fluxerunt XVII. sæcula integra, fluitque annus 26. decimi octavi.

* *Plerique hodie critici* Æram nostram vulgarem *quatuor annis vero Christi Natalis posteriorem esse contendunt.*

§. II.

SECUNDA *Temporum* DIVISIO *in* obscura, fabulosa *&* historica.

PErtinet hæc ad historiam profanam, in qua *obscura* dicuntur tempora, quæ ab ortu

ortu mundi fluxerunt usque ad *Ogygium* in Attica *Diluvium*, quod incidit in annum mundi 2248. ante æram Christi vulgarem 1756. & 980. ante primam Olympiadem.

Fabulosa censentur, quæ ab *Ogygis Diluvio* usque ad primam *Olympiadem* decurrerunt per annos ferè mille, usque ad annum ante Christum 776. quo pertinent Argonautæ, Hercules, Ulysses, Helena, Troja, omnesque illi apud Poetas celebrati *Heroes*.

Ab OLYMPIADIBUS, quarum prima Æram Christi vulgarem 776. annis antecedit, deducuntur apud profanos auctores tempora *Historica*, & Epochæ *certiores*.

Quamquam enim inficiari non possumus plurima esse in re Chronologica *incerta*, ac mira perplexitate involuta, sunt tamen insigniores quædam *Epochæ* extra omnem controversiam positæ, à quibus qui aberrat, vel ultro recedit, hoc ipso suam in Doctrina Temporum prodit imperitiam. Præcipuarum Catalogum, qui pro lapide Lydio esse possit, exhibet * *Petavius* in opere doctissimo & utilissimo, cui *Rationarium temporum* nomen fecit, quarum plerasque suis infrà locis breviter adnectemus.

* *P. 2. l. 1. c. 15.*

Juvabit hic annotare quid sibi velit nomen * EPOCHÆ, quo sæpiùs nos uti oportebit. Sunt itaque *Epochæ* certa quædam tempora celebriora, magnaque aliqua mutatione illustria, ad quæ memoriæ causa cetera passim referuntur; quemadmodum & in mappis Geographicis ad civitates quasdam celebriores, quarum situs memoriæ faciliùs imprimitur, loca alia minùs illustria referri solent.

* *Vox græca est à verbo* ἐπέχω, *id est, insisto, dicta.*

§. III.

TERTIA *Temporum* DIVISIO *in XIV. epochas principales.*

SUB *Novem Epochis* principalibus memoriæ causſa collocari ſolent hodie tempora, quæ à mundi conditu usque ad Chriſti Servatoris adventum interfluxerunt, quæ ſunt. 1. *Creatio*. 2. *Diluvium*. 3. *Vocatio Abrahami*. 4. *Lex ſcripta*. 5. *Excidium Trojanum*. 6. *Templum Salomonis*. 7. *Roma condita*. 8. *Cyrus*. 9. *Scipio*, ſeu Carthago victa.

Novem iſtis quinque aliæ adjunguntur, ſub quibus digeruntur tempora, quæ à Chriſti Natali hucuſque fluxerunt, ſuntque. 1. *Nativitas D. N.* JESU CHRISTI. 2. *Conſtantinus Magnus*. 3. *Carolus Magnus*. 4. *S. Ludovicus Galliæ Rex*. 5. *Lutherus* & Hæreſes occidentis.

Ita fiunt univerſim XIV. ad quarum aliquam quidquid ullo unquam tempore geſtum fuit, reduci oportet. Juvabit eas hic rudi penicillo delineare, & ſub illis illuſtriores Regnorum Rerumque publicarum viciſſitudines collocare, ut generalis temporum ſeries tota ſemel animo diſtinctè comprehendatur, quo ſenſim ſtudio & labore perfici poſſit, cujus rei quæ & quanta futura ſit utilitas, ſola docere poterit experientia.

§. IV.

Series Temporum ab ORBE CONDITO *uſque ad* CHRISTUM *in IX. Epochas diſtributa.*

QUemadmodum ad IX. Epochas principales reducitur totum temporis ſpatium, quod

quod ante Christum fuit, ita ad *octoginta octo personas*, consequenti quadam serie sibi succedentes, hoc, qui sequitur, modo revocari potest.

I. Creatio.

Epocha I., quæ & *prima* est *Mundi ætas*, annos habet 1656. Personas X.

1. Adam.	6. Jared.
2. Seth.	7. Enoch.
3. Enos.	8. Mathusala.
4. Cainan.	9. Lamech.
5. Malaleel.	10 Noe.

II. Diluvium.

Epocha & *Mundi ætas* II. comprehendit annos 426. Personas itidem X.

11. Sem.	16. Rheu.
12. Arphaxad. Septuaginta interpp. *Cainam* hic interserunt.	17. Sarug.
13. Sale.	18. Nachor.
14. Heber.	19. Thare.
15. *Phaleg* sub quo *confusio linguarum* ducentis circiter annis post *diluvium*.	20. *Abraham*, qui anno mundi circiter bis millesimo, bis item mille annis ante Christum natus est.

III. Vocatio Abrahami.

Epocha & *ætas Mundi III.* quæ incipit cùm Abraham haberet annos 75. complectitur annos 430. personas VI.

21. *Isaac*, sub quo * Ogygium in Attica diluvium, annis ante Christ. 1756.

* *Hucusque apud profanos auctores tempora* obscatur.

22. *Jacob*, qui *Ægyptum ingressus est*, annis ante Christum circiter 1700.

23. Levi.
24. Caath.
25. Amram.
26. *Moses*.

IV. Lex Scripta.

Annis circiter 1500. ante Chr. est *Quarta Mundi ætas*, quæ durat usque ad jacta Templi fundamenta annis * ferè 500. Continet autem hæc Epocha usque ad eversam Trojam, annos * plus quàm 300. personas IX. nempe post *Mosen*.

* *Memoria causa numeros rotundos adscribimus: numerantur* 480.

* *Numerat* Petavius *circiter* 350. *alii paulo pauciores. At* Eusebius *Cæsareens.* 800.

27. *Josue*.
28. Deinde Judices, quorum primus *Othoniel*.
29. Aod.
30. Samgar.
31. Debora cum Baraco.
32. Gedeon.
33. Abimelech.
34. Thola.
35. Jair.

V. Excidium Trojanum.

Annis ante Æram vulg. 1184. vel juxta marmora Arondelliana 1209. Complectitur hæc Epocha usque ad Templum Salomonis, annos ferè * ducentos: personas IX.

* *Juxtà* Petavium 171.

36. Jephte.
37. Abesan.
38. Ahialon.
39. Abdon.
40. Sampson.
41. Heli.
42. Samuel.
43. Sequuntur Reges Hebræorum, quorũ primus *Saul*.
44. *David*.

VI. Templum Salomonis.

Annis ante Christum 1012. est *Quinta mundi*

di Ætas, quæ usque ad *Cyrum* protenditur per annos 474. hæc autem Epocha, durans usque ad *Romam conditam*, annos habet ferè 260. personas XII.

45. *Salomon*.
46. Roboam.
47. Abia.
48. Asa.
49. Josaphat.
50. Joram.
51. Ochozias & Athalia Mater.
52. Joas.
53. Amasias.
54. Ozias sive Azarias, sub quo incipiunt * OLYMPIADES annis ante Christum 776.
55. Joatham.

* *Hic finiunt in Historia profana tempora* fabulosa, *incipiuntque* Historica.

VII. ROMA CONDITA.

Annis ante Æram vulg. 753.
Ante libertatem Judæis per *Cyrum* redditam 215. quod spatium temporis personas exhibet IX.

56. Achaz. — 57. *Ezechias*, sub quo iniit *Æra Nabonassarri*, 26. Febr. ante Christum. 747.
58. Manasses.
59. Amon.
60. Josias.
61. Joachaz.
62. Joakim, sub quo incipiunt *septuaginta anni captivitatis Babylonicæ*, ante Christum 607. 130. annis post destructum à Salmanasare *Regnum Israel*.
63. Jeconias. — 64. *Sedecias*, ultimus Regum Juda.

VIII. CYRUS,

Sive populus Dei in libertatem restitutus, ante Cristi natalem 534.
Ante *victam Carthaginem* annis 336. Est *Sexta mundi Ætas*, quæ usque ad Æram

Chri-

Christi vulg. procurrit per annos 538.
Numerantur sub hac Epocha octava *Pontifices Judæorum XIII.*

65. Jesus filius Josedech,	66. Joachim.
	67. Eliasib.

Ejectis *Regibus*, Romæ statuuntur CONSULES anno urbis conditæ 245. ante Æram Christ. 509.

Fugam *Xerxis* Persarum Regis è Græcia, post Navale cum Græcis certamen ad SALAMINEM factum, certum est contigisse anno primo Olympiadis 75. id est ante Chr. 480.

SEPTUAGINTA HEBDOMADÆ Danielis incipiunt ante Christ. 454.

Bellum PELOPONESIACUM, quod annos 27. tenuit, certum est iniisse annis ante Æram vulgar. 431.

Roma capta à Gallis. 390.

68. Jojada.	69. Jonathan.
	70. *Jaddus*, sub quo

ALEXANDRI MAGNI Victoria ad Arbella, & *Imperii Persici occasus*, incidit in annum ante Christ. 331.

Periodus Callipica incipit à 29. Junii anni sequentis, *mors* autem *Alexandri* in annum ante Christ. 324.

71. Onias I.

72. Simon I. sub quo *Æra Seleucidarum*, qua Macedones in Oriente usi sunt, quique *anni Græcorum* vocantur in libris Machabæorum, cœpit ante Christ. 312.
Sed in libro 1. Machab. ejus initium à Vere: in secundo autem libro, ab Autumno sequente ducitur.

73. *Eleazarus*, sub quo LXXII. INTERPRETES ante Christ. 284.

Bel-

Bellum Punicum I. 264.

74. Manaffes. | 76. Simon II.
75. Onias II. | 77. Onias III.

Bellum Punicum II. 218.

IX. SCIPIO, five CARTHAGO VICTA.

Anno urbis conditæ 552. ante Æram Christ. 201.
Personæ usque ad Chr. ex Judæorum historia supersunt XI.

78. Jason.
79. Menelaus, sub quo *Antiochus Epiphanes* templum profanavit Hierosolymis, incipitque *Asmonæorum* principatus ante Christ. 168.
80. Alcimus.
81. JONATHAS Mathatiæ filius, *Judæ* Machabæi frater.
Bellum Punicum III. ante Christ. 149.
82. *Simon* Jonathæ frater.
83. *Joannes Hyrcanus.*
Bellum Jugurthinum 111.
84. Aristobulus, qui primus post reditum è captivitate Babylonica, REGIS titulum gessit in Judæa.
85. Alexander Jannæus Rex.
Bellum Mithridaticum 94.
Bellum Marsicum sive sociale. 91.
86. Alexandra Regina.
87. *Hyrcanus II.* quo de *Pontificatu* dejecto, *Aristobulus* frater ejus eum occupat 66
Annus primus *Julianus* cœptus est ante Christ. 45.
Monarchia Romanorum 43.
Hircanus iterum dejectus ab *Alexandro* Ari-

Aristobuli filio, iterumque ab Antigono Alexandri fratre, tandem à Parthis auribus mutilatus abducitur, inque locum ejus substituitur

88. *Antigonus*, quem *Herodes* Ascalonita post triennium superavit & sustulit, ante Christ. 37.

Hoc *Herode* regnante natus est J. C. D. N.

Hæc itaque brevissima est series temporum, quæ ante Christi Salvatoris adventum fluxerunt, in qua pauca expressa sunt, ne memoria eorum, qui in his rebus adhuc rudes sunt, multitudine confundatur. Ad eorum interim elucidationem conferri poterunt quæ *Institutionum* p. 1. sect. 1. capp. 8. 9. 10. & 11. exposita sunt.

VII. MUNDI ÆTAS.

§. V.

Series Temporum NOVI TESTAMENTI, *in V. Epochas principales, & XVIII. sæcula distributa.*

EPOCHA X. NATIVITAS D. N. J. C.

HÆc ab initio Æræ vulg. Christ. usque ad pacem Ecclesiæ redditam per *Constantinum* Magn. annos complectitur 312. Exhibet autem NASCENTEM Ecclesiam, *Jesu Christi* doctrina, miraculis & morte fundatam, Apostolorum & successorum prædicatione quaquaversùm propagatam, diris infidelium *persecutionibus* divexatam, & innumerabilium Martyrum sanguine irrigatam, sub Romanis Pontificibus XXXIII. qui penè omnes *Martyrii* coronam putantur adepti,

Impe-

Imperatoribus autem Rom. XL. quorum plerique cruenta etiam morte sublati sunt.

PONTIFICUM

Hujus Epochæ hæc est series, quibus annum à Christi Natali adjungimus, quo singuli decesserunt.

SÆCULO I.

I. S. PETRUS ab anno circiter 42. usque ad 67. quo Romę sub Nerone Imp. anno ejus XIII. M.

II. *S. Linus* m. 78.

III. *S. Cletus* m. 91.

IV. *S. Clemens* M. 100.

SÆCULO II.

V. * *S. Anacletus* m. 110.

VI. *S. Evaristus* M. 119.

VII. *S. Alexander I.* m. 130.

VIII. *S. Sixtus I.* m. 140.

IX. *S. Telesphorus* M. 152.

X. *S. Hyginus* m. 156.

XI. *S. Pius. I.* m. 165.

XII. *S. Anicetus* m. 173.

XIII. *S. Soter* m. 177.

XIV. *S. Eleutherius* m. 191.

XV. S. VICTOR I. m. 201. Inter hunc Pontificem & *Polycratem* Episcopum Ephesinum aliosque *Asiaticos* gravis efferbuit controversia de *die Paschatis celebrandi*.

SÆCULO III.

XVI. *S. Zephyrinus* M. 219.

XVII. *S. Callistus* m. 224.

XVIII. *S. Vrbanus I.* M. 231.

XIX. *S. Pontianus* M. 135.

XX. *S. Antherus* M. 236.

XXI. *S. Fabianus* M. 250. vacat sedes anno uno & sex mensibus.

XXII.

* *Hunc Græci scriptores & quidam hodiè recentiores confundunt cum Cleto, multumque variant in assignanda sequentibus Pontificibus anno mortis.*

XXII. S. CORNELIUS M. 253. Adversùs hunc Pontificem *Primum schisma* suscitatum est, electo *Novatiano* hęretico.

XXIII. *S. Lucius I. M.* 255.

XXIV. S. STEPHANUS I. M. 257. Ad hujus pręsertim Pontificatum pertinet celebris contentio de *rebaptizandis Hæreticis*, in qua Ecclesiæ Romanæ traditionē & praxim adversus *S. Cyprianum*, Carthaginensem cum Africanis suis, & *Firmilianum* Cęsareæ in Cappadocia, Episcopos, *Stephanus* fortiter constanterque asseruit.

XXV. *S. Sixtus II.* cujus S. Laurentius erat Diaconus. M. 258.

XXVI. *S. Dionysius* m. 270.

XXVII. *S. Felix I.* m. 275.

XXVIII. *S. Eutichianus* m. 283.

XXIX. *S. Cajus* m. 296.

SÆCULO IV.

XXX. S. MARCELLINUS * m. 304.

XXXI. *S. Marcellus I.* 309.

XXXII. *S. Eusebius* m. 311.

XXXIII. *S. Melchiades*, sub quo *Donatistæ* Romæ damnati sunt m. 314.

* *De hujus lapsu & pœnitentia in Concilio* Sinuessano, *variæ sunt sententiæ.*

ROMANI IMPERATORES

Eo Temporis intervallo hi fuerunt.

I. Octav. *Augustus* Cęsar, cujus anno 42. J. Christus Natus est. m. anno Christi 14.

II. *Tiberius* m. 37.

III. *C. Caligula* m. 41.

IV. *Claudius* m. 54.

V. NERO, à quo *Prima* adversùs Chri-

stianos Romæ mota est *persecutio* an. 64. m. 68.
VI. Galba.
VII. *Otho*.
VIII. *Vitellius*.
IX. *Vespasianus* sub quo *Excisa sunt Hierosolyma* circ. an. 70. m. 79.
X. *Titus* * F.
XI. Domitianus † Fr. sub quo *Secunda persecutio* an. 94. m. 96.
XII. *Nerva* m. 98.
XIII. Trajanus, sub quo *Tertia persecutio* an. 107. m. 117.
XIV. Adrianus sub quo *Quarta persecutio* circ. an. 118. m. 138.
XV. Antoninus Pius, sub quo *Quinta persecutio* m. 161.
XVI. Marcus Aurelius Antonin. sub quo *Sexta persecutio* m. 180. Et *Lucius Verus* Fr. & collega Imperii. m. 170.
XVII. *Commodus* F. Marci Aurelii m. 193.
XVIII. Helvius *Pertinax* m. 193.
XIX. *Didius Julianus* Jurisc. m. 193.

Sæculo III.

XX. Severus, sub quo *Septima persecutio* ab an. 202. m. 211.
XXI. Antonin. *Caracalla* F. m. 217.
XXII. *Macrinus* cum filio m. 219.
XXIII. *Alagabalus* m. 222.
XXIV. *Alexander Severus*, propensus in Christianos, præsertim ob Mamæam Matrem. m. 235.
XXV. Maximinus senior cum filio, sub quo *Octava persecutio* m. 238.
XXVI. Duo *Gordiani* pater & filius: item *Pupienus & Balbinus*. m. 238.
XXVII. *Gordianus III.* junioris F. m. 244.
XXVIII. *Philippus* cum

De Persecutionibus vide Institut. p. 1. sect. 1 c. 2. q. 7. De Hæresibus *præcipuis hujus & sequentis Epochæ vide* ibid. *cap. 3. q. 4. De* Conciliis Oecumenic. *ibid. cap. 2. q. 11.*

* *Id est, præcedentis filius.*
† *Id est, præcedentis frater.*

cum filio m. 248. Dicitur fuisse Christianus: favit certè, sed non is erat qui religionem Christianam pro merito honestaret.

XXIX. DECIUS sub quo *Nona persecutio* admodùm formidolosa, plurimisque Christianis lapis offensionis & petra scandali. m. 251.

XXX. *Gallus cum Volusiano* F. item *Æmilianus* m. 254.

XXXI. VALERIANUS sub quo *Decima persecutio* ab an. 257. m. 260.

XXXII. *Gallienus* F. sub quo *Triginta Tyranni* exorti sunt, m. 268.

XXXIII. *Claudius II.* m. 270.

XXXIV. AURELIANUS, sub quo *Undecima persecutio* m. 275.

XXXV. *Tacitus* cum *Floriano* Fr. m. 276.

XXXVI. Aurelius *Probus* m. 282.

XXXVII. *Carus* cum Filiis *Carino & Numeriano*, item *Aper*, qui post occisum à se Numerianum generum suum, imperium tantisper invasit, sed mox ipse à Diocletiano occisus est an. 284.

SÆCULO IV.

XXXVIII. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS Herculius Imperii collega, sub quibus *Duodecima persecutio* omnium vehementissima. Imperium abdicarunt. an. 304.

XXXIX. CONSTANTIUS CHLORUS m. 306. Et *Galerius* Maximianus Armétarius m. 311.

XL. CONSTANTINUS Magnus Constantii F., qui pacem Ecclesiæ reddidit devicto *Maxentio* an. 312. m. 337.

P. A-

PATRES,

Scriptoresque *Ecclesiastici hujus ætatis post APOSTOLOS, præcipui sunt sequentes.*

Nota M. majusculâ, designare Martyrem m. verò minusculam idem esse ac mortuus est.

SÆCULO II.

I. *S. Clemens* Rom. 101.
II. *S. Ignatius* Antiochenus Ep. M. 107.
III. *S. Justinus* Philosoph. Christ. & M. circ. 163.
IV. *S. Polycarpus* Smyrnensis Ep. M. circ. 167.
V. *S. Theophilus* Antioch. Ep. M. circ. 182.

SÆCULO III.


VI. *S. Irenæus* Lugdun. Ep. M. circ. 203.
VII. *Tertullianus* Carthaginensis Presbyter, vir doctissimus, post Ethnicos Hæreticosque plurimos debellatos; ex Catholico *Montanista* m. circ. 216.
VIII. *Minutius Felix* causidicus Romanus, ejusdem ferè ætatis.
IX. *S. Clemens Alexandr.* Presb. m. circ. 220.
X. *Origenes* Presb. Alexandrin. m. 254. ær. 69.
XI. *S. Cyprianus* Carthagin. Ep. M. 258.
XII. *S. Gregorius Neocæsareensis* Ep. dictus Thaumaturgus m. 265.
XIII. *S. Dionysius* Alexandr. Ep. m. 265.

EPOCHA XI.

CONSTANTINUS MAGNUS *sive Pax Ecclesiæ reddita.*

Durat hæc Epocha ab anno 312. usque ad *Carolum Magnum*, novumque Occidenits Imperium, annis 448.

Tran-



Transactis persecutionibus *Ethnicorum*, novum belli genus Ecclesia sustinet ab HAERETICIS, quorum præcipui fuere *Donatistæ* & *Ariani* seculo IV., *Pelagiani*, *Nestoriani*, & *Eutychiani* sæculo V. *Monothelitæ* sæculo VII. *Iconoclastæ* sæculo VIII.

IMPERIUM in Orientale & Occidentale dividitur primùm sub *Valentiniano I.* anno 364. mox sub *Theodosii* Magni Filiis *Arcadio* & *Honorio* anno 395. *Occidentale* per incursiones BARBARORUM * vastatur, evertitur, & in varias partes & *nova regna* dissecatur.

* *Quorum plerique à* Septentrione *profecti sunt.*

VISIGOTHI Hispaniam occupant anno 404.

Reges habuerunt XXXIV. per annos 309. Primus fuit *Ataulphus*, qui *Placidiam* Honorii Imp. sororem duxit uxorem: ultimus *Rodericus*, cujus regnum Saraceni occuparunt an. 713. Ex *Arianis Catholici* facti sunt sub *Reccaredo* Rege XVII. an. 585.

FRANCI Ethnici duce *Pharamundo* è Germania irrumpunt in Gallias, anno 420. fundantque Monarchiam Francicam, quæ hucusque subsistit sub Rege hodie 66. cui nomen *Ludovicus XV.*

Prima eorum stirps *Merovingiorum* dicta: sub Regibus XXI. durat annis 331. Ex his *Clodovæus* Rex primus fit Christianus anno 496. atque exinde Francorum Reges re & nomine fuere *Christianissimi.*

VANDALI religione Ariani sub *Genserico* Rege Africam invadunt anno 429. tenentque per annos plus centum, sub Regibus VI. donec eam anno 534. devicto *Gilimere* Rege ultimo, in potestatem *Justiniani* Imp. redegit *Bellisarius.*

VE-

VENETÆ REIP. initium refertur ad annum circiter 453.
vastante nimirum Italiam *Attila* Hunnorum Rege, cognomento *Flagellum Dei*, in Adriatici maris insulas plurimi fugientes, civitatis & Reipublicæ celeberrimæ fundamenta jecerunt.

IMPERIUM OCCIDENTIS à *Valentiniano* I. durat annis 112. sub Impp. XIX. finemque accipit in *Romulo*, dicto *Augustulo*, per *Odoacrum* Herulorum Regem, anno 476.
hic autem victus est à *Theodorico* OSTROGOTHORUM Rege Ariano, anno 493.
Horum in Italia Regnum sub Regibus VIII. durat annis 60., donec pulso per *Narsetem Teja* Ostrogothorum Regum ultimo, Italia in *Justiniani* Imp. potestatem redacta est anno 553
Exinde *Exarchi* Ravennates XVIII. ab an. 567. usque ad 752. pro Imperatoribus Orientis Italiam gubernarunt; quorum primus *Longinus*, ultimus fuit *Eutychius*.

LONGOBARDI ex Ethnicis *Ariani*, Duce *Alboino* eam Italiæ partem occupant, quæ inde LONGOBARDIA, vel *Lombardia* nuncupari consuevit, anno 568.
tenentque per annos 206. sub Regibus XXIII. quorum ultimus *Desiderius* à *Carolo Magno* victus est an. 774.

MAHOMET celeberrimus ille pseudo-propheta, Mecca fugiens, *Saracenorum* fundat Imperium; mox Saraceni Syriam, Asiam Majorem, Persidemque invadunt, Ægyptum & Africam occupant, partem Europæ inundant, *Religionemque* Mahometanam absonam quidem atque ridiculam sed Christiana multo commodiorem, vi armorum longè latèque propagant. 622.

MAU-

MAURI, id est Saraceni, qui Mauritaniam in Africa occupaverant, exciti per *Julianum* Comitem, cujus filiam *Rodericus* vio-
713. laverat, Hispanias invadunt, cæsoque * *Roderico* ultimo Visigothorum Rege, eas obtinent per annos ferè 800. donec eos *Ferdinandus V.* Catholicus, ex Regno Granatensi, quod ultimum possidebant, expulit anno 1492.

751. *Gothorum* interim reliquiæ, duce *Pelagio* * fundant Regnum Asturicense, sive LEGIONENSE, cui Regnum Castellæ jungitur anno 1217. sub *S. Ferdinando III.* Regnumque Arragoniæ sub *Ferdinando V.* anno 1479.

Saracenos ex Hispaniis in Gallia excitos
725. sub Abdirama Rege, strage propemodùm incredibili concidit *Carolus Martellus*, Dux & Major domus Franciæ. Hujus filius PIPINUS BREVIS, post longam seriem Regum *Ignavorum*, sub quorum umbra totam Regni authoritatem pridem usurpaverant *Majo-*
717. *res domus Franciæ*, susceptis etiam *Regis* titulo & corona, quam ei, comprobante *Zacharia* Papa, Regni proceres detulerunt, originem dedit SECUNDÆ STIRPI Franciæ Regum, dictæ ab hujus filio *Carolovingiorum*, quæ sub XIII. Regibus duravit annis 236. desiitque in *Ludovico V.* cognomento, *Ignavo*, anno 986.

PONTI-

PONTIFICUM ROMANORUM,

Qui hoc temporis intervallo, à Silvestro *usque ad* Adrianum I. *inclusivè, fuerunt 64. ista est series.*

SÆCULO IV.

XXXIV. S. SILVESTER I. * ab anno 314. sub quo *I. Concil. Oecumenic.* NICÆNUM I. celebratum est anno 325. m. 335.

XXXV. *S. Marcus* m. 336.

XXXVI. *Iulius I.* m. 352.

XXXVII. LIBERIUS, cujus lapsus, non quidem in consensionem dogmatis Ariani, sed factionis adversùs *Athanasium*, qui Catholicæ veritatis invictissimus semper defensor fuit, satis notus est. m. 367.

XXXVIII. *Felix II.* † viventi Liberio subrogatus ab Arianis, ab iisdem pro fide Catholica postea M. 357. adhuc vivente Liberio.

XXXIX. S. DAMASUS I. contra quem SECUNDUM SCHISMA per Ursicinum excitatum est. Sub eodem celebrata est II. SYNODUS OECUMENICA, Constantinop. I. anno 381. m. 384.

XL. SYRICIUS m. 398. Epistolæ Decretales veterum Pōtificum, qui Syriciū præcesserunt, quas primùm sęculo VIII. * in lucem protulit *Isidorus Mercator*, à recentioribus hodie criticis inter suppositicias Isidori merces numerantur.

SÆ-

* *De Actis Silvestri*, & Baptismo Constantini *celebris quæstio est.*

† *Hunc aliqui non agnoscunt. Vide* Baron. *Mart.* 29. *Julii, & in Annalib.*

* *Circa an.* 780. *Vide* Philipp. Labbæum, *in Isidoro Hispal.*

SÆCULO V.

XLI. *Anastasius I.* m. 402.

XLII. *S. Innocentius I.* sub quo *Pelagii Cœlestiique* doctrina damnata est. m. 417.

XLIII. *S. Sozimus* m. 418.

XLIV. *S. Bonifacius I.* contra quem III. SCHISMA excitatum est pro *Eulalio*. m. 423.

XLV. S. CÆLESTINUS I. sub quo *Concil.* EPHESINUM œcumenic. III. celebratum est. Scripsit etiam pro doctrina *Augustini* contra Semipelagianos ad Episcopos Galliæ. m 432.

XLVI. *S. Sixtus III.* m. 440.

XLVII. S. LEO I. dictus *Magnus*, sub quo CONCIL. CHALCEDONENSE œcumenicum IV. habitum fuit. m. 461.

XLVIII. *S. Hilarus* m. 467.

XLIX. *S. Simplicius* m. 483.

L. *S. Felix III.* atavus S. Gregorii Magni. m. 492.

LI. *S. Gelasius I.* m. 496.

LII. *S. Anastasius II.* m. 498.

SÆCULO VI.

LIII. *S. Symmachus*, sub quo IV. SCHISMA Laurentii m. 514.

LIV. *S. Hormisdas* m. 523.

LV. *S. Ioannes I.* in carcere m. 526.

LVI. *S. Felix IV.* m. 530.

LVII. *S. Bonifacius II.* sub quo V. SCHISMA Dioscori m. 531.

LVIII. *Ioannes II.* m. 535.

LIX. *S. Agapetus I.* m. 536.

LX. *S. Silverius* in exilio m. 540.

LXI. VIGILIUS, sub quo QUINTA SYNODUS habita Constantinopoli anno 553. m. 555.

LXII. *Pelagius I.* m. 559.

LXIII. *Ioannes III.* m. 572.

LXIV. *Benedictus I.* m. 577.

LXV. Pelagius II. m. 590.

LXVI. S. Gregorius I. re & cognomento *Magnus*, qui inter cætera egregia facinora, per B. Augustinum Monachũ in *Angliam* missum, gentem illam convertit ad fidem, m. 604.

Seculo VII.

LXVII. *Sabinianus* m. 605.

LXVIII. Bonifacius III. m. 606.

LXIX. *S. Bonifacius IV.* m. 614.

LXX. S. Deus dedit. m. 617.

LXXI. Bonifacius V. m. 625.

LXXII. Honorius I. cui velut fautori hæreseos *Monothelitarum*, anathema post mortem dictum fuit in *VI. Synodo*, m. 638.

LXXIII. Severinus. m. 639.

LXXIV. *Ioannes IV.* qui damnavit *Ecthesim* Heraclii Imp. m. 642.

LXXV. *Theodorus I.* m. 649.

LXXVI. S. Martinus I. qui damnato *Typo* Constantis Imp. in exilio Martyr occubuit anno 654.

LXXVII. S. Eugenius I. m. 655.

LXXVIII. S. Vitalianus. m. 669.

LXXIX. Adeodatus. m. 676.

LXXX. Domnus I. m. 678.

LXXXI. S. Agatho, sub quo VI. Synodus Constantinopoli celebrata est an. 680. m. 681.

LXXXII. *S. Leo II.* prædictam Synodum confirmavit. m. 684.

LXXXIII. S. Benedictus II. m. 685.

LXXXIV. Joannes V. m. 686.

LXXXV. *Conon*, sub quo VI. Schisma, electis Petro & Theodoro. m. 687.

LXXXVI. *S. Sergius I.* sub quo VII. Schisma, electis

Theodoro & Paschali, m. 701.

SÆCULO VIII.

LXXXVII. † Joannes VI. m. 705.
LXXXVIII. Joannes VII. m. 707.
LXXXIX. Sisinnius 20. diebus, m. 708.
XC. Constantinus. m. 714.
XCI. S. GREGORIUS II. Fortis fuit adversùs *Leonem Isauricum* Imp. Iconoclastam: & *S. Bonifacium* (qui postea Episcopus Moguntinus & Martyr fuit) in Germaniam destinavit, m. 731.
XCII. S. Gregorius III. m. 741.
XCIII. *S. Zacharias*. m. 752.
XCIV. Stephanus II. diebus quatuor. *Stephanus III.* qui post multos labores & ærumnas m. 757.
XCV. *Paulus I.* Stephani III. frater; sub quo VIII. SCHISMA, ob Theophylactum Archipresbyterum. m. 767.
XCVI. *Stephanus IV.* dictus III. sub quo IX. SCHISMA per *Constantinum* fratrem Totonis ducis Nepesini, Antipapam intrusum. m. 772.
XCVII. ADRIANUS I. sub quo VII. SYNODUS œcumenica, Nicæna II. celebrata est an. 787. m. 795.

IMPERATORES

A Constantino Magno *usque ad finem hujus Epochæ, numerantur in* Oriente XXXIII. *nempe ad* Irenem *Constantini VII. Matrem inclusivè. Celebriores in Historia Ecclesiastica sunt sequentes.*

CONSTANTIUS F. Constantini; Arianus; m. 361.

JULIANUS APOSTATA, Christianorum, à quibus desciverat, per-

persecutor subdolus & versipellis, occ. 363.
Jovianus Cathol. m. 364.
Valentinianus I. Cathol. in occidente m. 375. & VALENS Frater ejus Arianus in Oriente. m. 378.
Gratianus in Occidente, à *Maximo* Tyranno occ. 383.
Valentinianus II. F. sub tutela matris *Justinæ*, Arianæ, m. 392.
THEODOSIUS MAGNUS. Cædit Tyrannos *Maximum* anno 388. *Eugenium* verò an. 394. m. 395.
ARCADIUS F. in Oriente. m. 408. & HONORIUS Fr. ejus in Occidente, m. 425. *Valentinianus III.* F. Gallæ Placidiæ sororis Honorii, in Occidente, m. 455. & THEODOSIUS junior, F. Arcadii, in Oriente. m. 450. Sequuntur in Occidente IX. Imperatores inglorii, in quorum ultimo *Romulo Augustulo* Occidentale Imperium finem habuit anno 476.

In Oriente laudatissimi ab excessu *Theodosii* junioris, Principes fuerunt MARTIANUS cum PULCHERIA conjuge, ejusdem Theodosii sorore, quæ Martiano cum nuptiis (sed virginitati suæ nihil unquam obfuturis) Imperium Orientale detulerat. m. 457.

Celebres etiam sunt in Historia Ecclesiastica *Zeno* Isaurus, qui pro Eutychianis *Henoticon* edidit, m. 491. *Anastasius I.* successor ejus itidem Eutychianus. m. 518. ... JUSTINIANUS I. dict. Magnus, qui *Jus Civile* Romanorum per Tribonianum J. C. compilandum & edendum curavit. *Theodora* conjux ejus, partibus Eutychianis devotissima, multorum malorum caussa extitit: ipse in fine vitæ ad

eosdem deflexisse putatur. Imperavit ab exitu *Iustini I.* annoque 527. m. 566. ..... MAURITIUS ab an. 582. occ. 602. *Phocas* Tyrann. m. 610. HERACLIUS Monothelita, in cujus hæreseos favorem *Ecthesim* edidit, an. 639. m. 641. ...., CONSTANS pro eadem hæresi *Typum* vulgavit anno 649. m. 668. *Constantinus IV. Pogonatus* F. Catholicus, quo præsente & protegente VI. Synodus celebrata est m. 685. .... LEO III. Conon Isauricus, *Iconoclasta* ab anno 726. m. 741. *Constantinus V.* COPRONYMUS dictus, F. itidem Iconoclasta. m. 775. *Leo IV.* F. similiter. m. 780. *Constantinus VI.* F. cum Matre *Irene*, sub quibus pax Ecclesiæ reddita est in *Synodo VII.* Ille matris jussu oculis orbatus m 797. hæc à *Nicephoro* pulsa est an. 802.

PATRES ET SCRIPTORES ECCLESIASTICI

Hujus ætatis celebriores hi sunt.

SECULO IV.

XIV. *Arnobius* m. circ. 326.

XV. *Lactantius* quem CiceronemChristianum aliqui nuncuparunt. 328.

XVI. *Iuvencus* Presb. Hispanus, Poeta Christianus. 329.

XVII. EUSEBIUS Cæsareensis in Palæstina Ep. veteris historiæ Eccl. scriptor præcipuus, sed *Arianis partibus* addictus. m. 340.

XVIII. S. HILARIUS Pictaviensis Ep. flagellum Arianorum. m. 367.

XIX. S. OPTATUS MILEVITANUS Ep.

Ep. acerrimus Donatistarum impugnator. m. circ. 370.

XX. S. ATHANASIUS Alexandrinus ab an. 326. Ep. præcipuum fidei Catholicæ columen adversùs Arianos, post persecutiones penè incredibiles in pace. m. 373.

XXI. *S. Ephrem* Diacon. Edessenus in Syria, dictus *Magister Orbis*. m. 378.

XXII. S. BASILIUS *Magnus*, Cæsareensis in Cappadocia Ep. ab anno 370. m. 379.

XXIII. *S. Pacianus* Barcinonensis Ep. m. 380.

XXIV. *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Ep. m. 386.

XXV. *S. Philastrius* Brixiensis Ep. m. 387.

XXVI. S. GREGORIUS NAZIANZENUS Sasimorum Episcopus, & aliquanto etiam tempore Constantinopolitanus, m. 389.

XXVII. *S. Gregorius* NYSSENUS Ep. Frater præcedentis. m. circ. 395.

XXVIII. S. AMBROSIUS Mediolanensis Ep. m. 397.

SÆCULO V.

XXIX. S. EPIPHANIUS Salaminæ in Cypro Ep. m. 403. æt. 80.

XXX. *Prudentius* Poeta Christianus, natione Hispanus. flor. 405.

XXXI. S. JOANNES CHRYSOSTOMUS ex Presbytero Ecclesiæ Antiochenæ, Ep. Constantinopolit. ab an. 398. m. Comanis in Exilio 407.

XXXII. *Ruffinus* Presbyter Aquileensis, adversarius S. Hieronymi. m. 410.

XXXIII. *Synesius*, ex Philosopho, Cyrenæus in Pentapoli Ep. viv. 412.

XXXIV. S. HIERONYMUS Stridone in Dalmatia natus, Ordinatus Presbyter à *Paulino* Antioch.

tioch. Ep. anno 378. m. Bethlehemi æt. 91. anno 420.

XXXV. *Severus Sulpicius* Presbyter Aquitanus. m. 422.

XXXVI. S. AUGUSTINUS Tagastæ in Africa natus anno 355. Baptizatus Mediolani an. 388 Presbyer ordinatus anno 391. creatus Ep. *Hipponensis* an. 396. adhuc vivente *Valerio*. Obiit anno 430. æt. 76. dum Hippo Regius obsideretur à Vandalis.

XXXVII. S. PAULINUS Nolanus Ep. qui consulatum gesserat an. 375. m. 431.

XXXVIII. *S. Vincentius Lirinensis*, Scrib. commonitorium an. 334.

XXXIX. *Socrates* & *Sozomenus* Historici secta *Novatiani* circ. 440.

XL. S. CYRILLUS ALEXANDR. Ep. ab anno 412. m. 444. veritatem Catholicam adversùs *Nestorium* invictissimè propugnavit.

XLI. *Ioannes Cassianus* m. 448. Semipelagianorum caussam suscepit Massiliæ.

XLII. *S. Petrus Chrysologus* Ep. Ravenn. ab ann. 433. m. 449.

XLIII. S. PROSPER Aquitanus m. circ. 456.

XLIV. THEODORETUS Cyri in Palestina Ep. ab an. 423. m. circ. 466. nomen ejus celebre est in caussa *Trium Capitulorum* de quibus in *V. Synodo*.

XLV. *S. Maximus* Taurinensis Ep. m. circ. 466.

XLVI. *Sidonius Apollinaris* Ep. Arvernorum. m. 482.

XLVII. SALVIANUS Presb. Massiliensis circa an. 490.

XLVIII. *Victor* Vitensis in Africa Ep. qui scripsit Historiam *Persecutionis Vandalicæ* in Africa sub Genserico & Hunnerico Regibus Arianis m. circ. 490.

XLIX. *Iulianus Pomerius* viv. 500.

Sa-

Seculo VI.

L. *Severinus* Boethius Philosophus Christ. Ticini necatus jussu *Theodorici* Regis Ostrogothor. anno 524.

L I. S. Fulgentius Ruspensis in Byzacena Africæ provincia Ep. m. circ. 530.

L II. Dionysius Abbas Rom. cognomento Exiguus Auctor Æræ nostræ vulgaris 530.

LIII. *S. Cæsarius Arelatensis* Ep. m. circ. 543.

LIV. *Facundus* Hermianensis Ep. in Africa. 553.

LV. M. Aurel. Cassiodorus, nonagenario Major m. circ. 562.

LVI. *S. Joannes Climacus* Abbas montis Sina. 580.

LVII. S. Gregorius Turonensis Ep. ab anno 572. m. 594.

LVIII. *Evagrius* Historicus, finiit historiam suam an. 597.

Seculo VII.

LIX. S. Isidorus Hispalensis Ep. post *S. Leandrum* Fratrem ab an. 595. m. 636.

L X. S. *Sophronius* Hierosolymit. Ep. defensor veritatis Catholicæ contra Monothelitas. m. circ 636.

LXI. *S. Maximus* Abbas & ejusdem Catholicæ veritatis *Confessor* egregius in exilium missus an. 650. m. 662.

LXII. S. Eligius Flandrorum Apostolus, Noviomensis Ep. ab an. 646. m. 665.

LXIII. *S. Ildefonsus* Toletanus Ep. m. 667.

Seculo VIII.

LXIV. Beda cognomento *venerabilis*, Presb. & Monachus Anglus, natus anno 663. m. 735.

LXV. *S. Bonifacius* Moguntinus. Ep. & Martyr, à Frisiis paganis necatus 754.

LXVI. S. JOANNES DAMASCENUS cognomento Mansur, item Chrysorrhoas, egregius defensor *imaginum*. floruit ab an. 730. m. circ. 750.

EPOCHA XII.

800. CAROLUS MAGNUS, sive, NOVUM IMPERIUM OCCIDENTIS.

Durat hæc Epocha ab anno 800 usque ad initia S. LUDOVICI, per annos 426. Manet occidentis Imperium penes *Caroli Magni* posteros annis circiter 100. sub Impp. IX. Sæculo X. transit ad GERMANOS, apud quos hucusque subsistit, horum *Quadragesimus* est, qui hodiè feliciter Imperat CAROLUS VI.

810. Ab *Alpino* qui SCOTIÆ REGNUM tenuit circa annum 800. usque ad *Iacobum VI.* qui anno 1603. Scotiam adjunxit Angliæ, Reges numerantur XXXVIII. per annos 803.

Ab *Egberto* qui primus divisas ANGLIÆ Provincias reunivit, usque ad eum qui Britannicis Insulis hodiè præest, Reges numerantur XLVIII. per annos hactenus 915.

NORTMANNI à Septemtrione profecti annis ferè 80. Galliam & Belgium infestant.

826. Regnum DANIÆ. *Alfredus* fidem Christianam amplectitur anno 826. à *Sivaro* autem & ab anno 872. usque ad *Fredericum*, *IV.* hodiè regnantem numerantur Reges XLII. *Olavus* Rex circ. annum 990. christianam religionem in Regnum intulit: Lutheranismum autem invexit *Fredericus I*, anno 1523.

862. Primus FLANDRIÆ COMES *Balduinus I.* cognom. Brachium ferreum, creatus à *Carolo*

lo Calvo Rege Francorum, cujus filiam Juditham Balduinus abduxerat. Ab illo *Carolus VI.* hodie Imperator, est XXXVI. Pervenit comitatus ad *Burgundos* anno 1405. ad *Austriacos* autem per *Mariam* Burgundam nuptam *Maximiliano* Archiduci Austriæ an. 1477.

Orientalis SCHISMATIS semina spargit PHOTIUS. 866.

REGNI NAVARRÆI origo sub *Arista*. 889.

SÆCULO X.

Rollo dux NORMANNORUM fit Christianus. 912.

Imperium Occident. transit ad GERMANOS.

LOTHARINGIA superior atque inferior. 959.

TERTIA STIRPS *Francorum* Originem accipit in *Hugone Capeto*, à quo usque ad præsentem Galliæ Regem *Ludovicum XV.* per annos hactenus 738. numerantur Reges XXXII. 987.

Regnum NORVVEGICUM fundat *Suenon*, quod anno 1387. junctum est Regno *Daniæ*, per conjugium *Aquini* Regis Norvvegiæ cum *Margarita* Regina Daniæ. 998.

Regnum POLONICUM incipit in *Boleslao* filio *Micislai*, primi inter Duces Polonorum Christiani. Inde usque ad *Fredericum Augustum* Saxoniæ ducem, hodie Regnantem, Reges numerantur XXXV. 999.

Regnum HUNGARICUM incipit in *S. Stephano* Gaisæ Filio, quod unà cum Regno *Bohemiæ*, ab an. 1526. persistit in domo Austriaca. Reges usque ad *Ferdinandum Austriacum* fuerant XXXIII. exinde Nonus est *Carolus VI.* Imp. 1000.

SÆCULO XI.

CASTELLÆ primus Rex *Sanchez III.* Rex Navarræ. 1029.

1305. ARRAGONIÆ primus Rex *Ramirus I.*

1061. BOHEMIÆ primus Rex ponitur *Uratislaus*, sive *Ladislaus I.*

1067. *Stemma Normannicum* in ANGLIA à *Guilielmo Notho* Duce Normanniæ, qui *Conquistor* dictus est.

1085. *Ribertus Guiscardus*, & *Rogerius* Gibbosus Filii *Tancredi* Northmanni, *Saracenos* Apulia, Calabria, & Sicilia depellunt, fundantque Regnum NEAPOLITANUM & SICILIÆ, tametsi Regis titulum primus tandem usurpaverit *Rogerius II.* ann. 1129.

EXPEDITIONUM in terram sanctam *prima* decreta fuit in Concilio Claromontano, an. 1095. *Octava* verò & ultima finit an. 1291.

1096. *Godefridus Barbatus*, primus Dux BRABANTIÆ, à quo *Carolus VI.* hodiè Imp. est XXIV.

1099. Regnum HIEROSOLYMITANUM primus è Francis gerit *Godefridus Bullonius* Dux Lotharing. duravit annis, reipsa 88. titulo tenus 124.

Hoc ipso Sæculo XI. *Schisma Orientale* ingens accepit incrementum à contumacia MICHAELIS CÆRULARII Patriarchæ Constantinop.

Sæculo XII. ORDINES MILITARES varii sunt instituti.

Eodem æque ac præcedenti sæculo gravis extitit controversia inter Rom. Pontifices & Imperatores de INVESTITURA beneficiorum.

1139. LUSITANIÆ primus Rex fuit *Alphonsus I. F.* Henrici.

ALBIGENSES & VVALDENSES post *Berengarium* anno 1088. mortuum, Sæculis XII. & XIII. turbant Ecclesiam, quam contra doctrina & Sanctitate egregiè ædificat *S. Bernardus* Abb. Claravall. m. 1153. Paulo post pro libertate Ecclesiastica Martyrium in Anglia subiit *S. Thomas* Cantuariensis Ep. an. 1172.

Du-

Durante hac *Epocha* Pontifices Rom. à *Leone III.* usque ad *Honorium III.* fuere 76. Impp. *Orientis* à *Nicephoro* usque ad *Joannem Ducam* Batatzen, vel Robertum Belgam, 37. *Occidentis*, à *Carolo Magno* usque ad *Fredericum II.* 25. Concilia œcumenica V.

PONTIFICUM ROMANORUM,

Qui hac ætate Ecclesiæ præfuerunt, hæc est Series.

SECULO IX.

XCVIII. LEO III. ab an. 795. Hic anno 800. *Carolum Mag.* Romæ Coronavit Imperatorem, à quo novi Imperii occidentalis origo. m. 816. *Carolus* autem an. 814. æt. 71.

XCIX. Stephanus V. 7. mensib. m. 817.

C. *S. Paschalis I.* m. 824.

CI. *Eugenius II.* sub quo DECIMO SCHISMATI occasionem dedit *Zinzinus* m. 827.

CII. Valentinus diebus 40. m. 827.

CIII. *Gregorius IV.* qui ad Pontificatum invitus accessit. m. 843.

CIV. *Sergius II.* sub quo UNDECIMUM SCHISMA conflatum est à *Joanne* Diacono. m. 847.

CV. *S. Leo IV.* m. 855. Hic ab inimicis Sedis Apostolicæ insulsa fabulatione collocatur *Joanna Papissa*, sub nomine Joannis VIII. sed commentum istud invictis jam pridem rationibus Catholici destruxerunt.

CVI. *Benedictus III.* sub quo SCHISMA XII. Anastasii. m. 859.

CVII. NICOLAUS I. cognomento *Magnus*. m. 867.

CVIII. ADRIANUS II. sub quo VIII. SYNODUS OECUM. an. 869. m. 872.

CIX.

CIX. Joannes VIII. m. 882.

CX. Marinus I. aliis *Martinus II.* m. 884.

CXI. Adrianus III. m. 886.

CXII. Stephanus VI. dictus V. m. 891.

CXIII. FORMOSUS ex Episcopo Portuensi, Ep. Rom. m. 896. SCHISMA XIII. per *Bonifacium VI.* & Sergium.

CXIV. STEPHANUS VII. dictus VI. qui *Formosi* prædecessoris sui memoriam inaudita ratione insectatus est. Occ. 900.

** Sæculum infelix, confusione & perturbatione plenum; quod tamen Deo protegente, nullam novam hæresim sectamve produxit.*

* SÆCULO X.

CXV. Romanus m. 901.

CXVI. Theodorus II. diebus 20. m. 901.

CXVII. Joannes IX. m. 905.

CXVIII. Benedictus IV. m. 906.

CXIX. *Leo V.* pulsus post 40. dies.

CXX. *Christophorus* 7. post mensibus pulsus per *Sergium III.* Antipapam jam inde sub *Formoso*; quo mortuo anno 910. successit.

CXXI: Anastasius III. m. 912.

CXXII. Lando m. 913.

CXXIII. *Ioannes X.* m. in carcere 928.

CXXIV. *Leo VI.* sex mensib. m. 929.

CXXV. Stephanus VIII. aliis VII. m. 931.

CXXVI. *Ioannes XI.* m. 936.

CXXVII. Leo VII. m. 939.

CXXVIII. Stephanus IX. dictus VIII. m. 943.

CXXIX. Marinus II. aliter *Martinus III.* m. 946.

CXXX. AGAPITUS II. vitæ admodum laudatæ in sæculo tam illaudato, m. 955.

CXXXI. *Ioannes XII.* * dictus anteà *Octavianus*, infelicis memoriæ Pontifex ab

* *Primus nomen mutasse dicitur, quod deinceps frequentissimè factum est.*

ab anno æt. 18. Occ. 964. SCHISMA XIV. per Leonem VIII. Antipap. ab Othone I. Imp. subrogatum an. 963.

CXXXII. Benedictus V. in exilio m. 965.

CXXXIII. *Ioannes XIII.* dejectus primùm, posteà restitutus. m. 972.

CXXXIV. Domnus II. 3. mensib. m. 972.

CXXXV. Benedictus VI. occ. 974.

CXXXVI. Benedictus VII. m. 984.

CXXXVII. *Ioannes XIV.* ex Episcopo Ticinensi Pontifex Rom. occ. 985.

CXXXVIII. *Ioannes XV.* vitæ non illaudatæ m. 996.

CXXXIX. GREGORIUS V. è Saxonia oriundus, anteà *Bruno* dictus vitæ pariter probatæ, ad quem *Electorum Imperii* institutio referri solet: quamquam alii ad *Ioannem XII. Leonem VIII.* aut *Silvestrum II.* jus eligendi Imperatoris Germanis datum, potiùs referendum putent, m. 999.

SÆCULO XI.

CXL. SILVESTER II. itidem germanus, dictus antea *Gerbertus*, Othonis III. quondam præceptor, deinde Rhemensis Ep. posteà Ravennas m. 1003.

CXLI. Joannes XVI. dict. XVIII. m. 1003.

CXLII. Joannes XVII. dict. XIX. m. 1009.

CXLIII. Sergius IV. m. 1012.

CXLIV. *Benedictus VIII.* m. 1024.

CXLV. Joannes XX. m. 1033.

CXLVI. *Benedictus IX.* usque ad 1044.

CXLVII. Gregorius VI. usque ad 1046.

CXLVIII. Clemens II. m. 1047.

CXLIX. Damasus II. m. 1048.

CL. S. LEO IX. m. 1054.

CLI. *Victor II.* m. 1057.

CLII.

CLII. Stephanus X. m. 1058.
CLIII. Nicolaus II m. 1061.
CLIV. *Alexander II.* m. 1073.
CLV. S. Gregorius VII. m. 1085.
CLVI. Victor III. 1087.
CLVII. Urbanus II. m. 1099.

Saeculo XII.

CLVIII. Paschalis II. m. 1117.
CLIX. Gelasius II. m. 1119.
CLX. Calistus II. sub quo Conc. Lateranense I. oecumenic. IX. an. 1022. m. 1142.
CLXI. Honorius II. m. 1130.
CLXII. Innocentius II. sub quo Conc. Lateranense II. oecumenic. X. an. 1139. m. 1143.
CLXIII. Caelestinus II. m. 1144.
CLXIV. Lucius II. m. 1145.
CLXV. *Eugenius III.* Discipulus S. Bernardi. m. 1153.
CLXVI. Anastasius IV. m. 1155.
CLXVII. *Adrianus IV.* m. 1159.
CLXVIII. Alexander III. sub quo Conc. Lateranense III. oecum. XI. an. 1179. m. 1181.
CLXIX. Lucius III. m. 1185.
CLXX. Urbanus III. m. 1187.
CLXXI. Gregorius VIII. m. 1187.
CLXXII. *Clemens III.* m. 1191.
CLXXIII. *Caelestinus III.* 1198.

Saeculo XIII.

CLXXIV. Innocentius III. sub quo magnum Concil. Lateranense IV. oecumenic. XII. an. 1215. m. 1216.
CLXXV. *Honorius III.* m. 1227.

SCRI-

SCRIPTORES ECCLESIASTICI

Hujus ætatis, qui præ cæteris clarum nomen adepti sunt, hi fuerunt.

SÆCULO IX.

LXVII. *Paulus Diaconus* historic. m. 801.

LXVIII. *Alcuinus* præceptor Caroli Mag. m. circ. 804.

LXIX. USUARDUS Martyrologus floruit post medium Sæculi noni. Quo anno obierit non liquet.

LXX. *Theodulphus* Aurelianensis Ep. m. 821.

LXXI. *Jonas* Aurelianensis Ep. m. 842.

LXXII. *Eulogius* Cordubensis. m. 859.

LXXIII. VValafridus Strabo, m. 859.

LXXIV. ADO Viennensis in Gallia Ep. m. post annum 874.

LXXV. *Anastasius* Bibliothecarius. m. 874.

LXXVI. RABANUS Maurus, Moguntinus Ep. m. 856.

LXXVII. HINCMARUS Rhemensis Ep. m. 882.

SÆCULO X.

LXXVIII. *Simon Metaphrastes*, m. circ. 950.

SÆCULO XI.

LXXIX. BURCHARDUS VVormatiensis Ep. m. 1026.

LXXX. B. PETRUS DAMIANI C. m. 1072.

LXXXI. *Theophilatus*, Græcus Acridensis in Bulgar. Ep. m. 1078.

LXXXII. Marianus Scotus. m. 1086.

LXXXIII. LANFRANCUS Cantuariensis Ep. m. 1089.

SÆCULO XII.

LXXXIV. S. ANSELMUS Cantuariensis Ep. m. 1109.

LXXXV. *Sigebertus Gemblacensis* Histor. m. circ. 1113.

LXXXVI. Ivo CARNOTENSIS Ep. m. 1115.

LXXXVII. Anselmus Laudunensis Ep. auctor glossæ interlinearis. m. 1117.

LXXXVIII. *Zonaras* Monachus Græcus circ. 1120.

LXXXIX.

LXXXIX. RUPERTUS Abbas Tuitiensis m. 1135.
XC. *Hugo de S. Victore* m. 1140.
XCI. GRATIANUS Monachus Ord. S. Bened. author *Decreti*. m. circ. 1151.
XCII. S. BERNARDUS m. 1153.
XCIII. Petrus Venerabilis Monachus Cluniac. m. 1157.
XCIV. PETRUS LOMBARDUS Ep. Parisiensis, *Magister Sententiarum* dictus m. 1164.
XCV. Richardus de S. Victore. m. 1173.
XCVI. *Petrus Comestor.* m. 1198.
SÆCULO XIII.
XCVII. S. FRANCISCUS Assisias. m. 1226.

EPOCHA XIII.

S. LUDOVICUS *Galliæ Rex*.

Ab exordio Regni *S. Ludovici Noni* ejus nominis Galliarum Regis, annoque 1226.
1226. usque ad *Lutheranas* Tragœdias, anni intercedunt 291.

BELGÆ an. 1204. sub BALDUINO Flandriæ & Hannoniæ Comite obtinent Imperium Constantinopolitanum, tenentque per annos 57. usque ad an. 1261.

1261. Post *Petrum Lombardum* SCHOLASTICORUM Patrem, florent SS. THOMAS Aquinas, & BONAVENTURA, uterque m. 1274.

ORDINES MENDICANTES.

1282. VESPERÆ SICULÆ, in quibus Galli in Sicilia trucidantur.

1297. Fundatur IMPERIUM OTHOMANNICUM, sive TURCICUM per *Othomanem*, à quo, qui hodie imperat *Achmetes III.* numeratur vigesi-
1307. mus quartus.

Papæ VII. AVENIONE sedentes per an. 70.

Duca-

Ducatus MEDIOLANENSIS initia sub Matthæo. 1313.

HELVETI Duce *Guillielmo Tellio* ab Imperatore deficiunt an. 1315. Quatuor * autem eorum pagi à Religione Catholica descive-runt Duce *Zvvinglio* circ. an. 1523. 1315.

TEMPLARII aboliti in Concilio Viennensi.

Primus SUECIÆ Rex à nonnullis statuitur *Albertus*, à quo numeratur XVIII. *Carolus XII.* non ita pridem in expeditione Norvvegica occisus: *Fredericus* autem, qui hodie præest, XIX. 1372.

Magnum SCHISMA OCCIDENTIS post mortem *Gregorii XI.* inchoatum, durat annis 40. vel, ut alii numerant 70. ab anno nempè 1378. usque ad finem Concilii Constantiensis, annumque 1418. vel potiùs usque ad an. 1449. quo *Felix V.* Antipapa in Concilio Basileensi electus, *Nicolao V.* Papæ se subdidit. 1378.

SABAUDIÆ primus Dux *Amedæus VIII.* per Sigismundum Imp. constituitur. Dictus posteà fuit *Felix V.* Antipapa. *Comites* ante id tempus Sabaudia habuerat ab anno 1025. quorum primus *Humbertus Alba manu*, à quo qui præest hodie *Victor Amatus II.* numeratur XXXII. 1416.

RESPUBLICA LUCENSIS originem refert ad an. 1430.

Joanna Darcia VIRGO AURELIANENSIS Galliæ ab *Anglorum* jugo liberatrix. 1429.

SANCTIO PRAGMATICA Biturgibus edita: sed per *concordatum* inter Leonem X. Papam & Franciscum I. Galliæ Regem postmodùm abrogata an. 1516. 1438.

IMPERII GRÆCORUM FINIS sub *Constantino Pa-* 1453.

* Septem *in ea perstiterunt*: duo *utramvis religionem admittunt*.

no Palæologo, capta per Mahometem II. Constantinopoli 29. Maji 1453. Elapsis ab XI. Maji anni 330. qua dedicata fuerat à Constantino Magno, annis 1122. diebus 18.

1478. Laurentius de Medicis declaratur dux HETRURIÆ.

1492. AMERICA, quæ aliter *Novus orbis* dicitur, detegi cœpta est per Christophorum Columbum Genuensem, anno 1492. pleniùs autem post quinquennium per *Americum* Vespusium Florentinum, à quo universa regio nomen mutuata est. Exinde in vastissimis hisce provinciis christiana Religio longè lateque propagata est.

Joannes WVICLEF, Joannes HUS & HIERONYMUS DE PRAGA celebres hac ætate Novatores.

Pontifices Rom. hoc temporis spatio fuere XLII. Impp. Orientis XI. Occidentis XV. aut XVI. *Turcarum* ab anno circ. 1300. usquè ad 1517. VIII. Concilia Oecumenica VI.

PONTIFICUM

Hæc fuit successio.

SÆCULO XIII.

CLXXVI. * GREGORIUS IX. m. 1241.
CLXXVII. Cælestinus IV. m. eod.
CLXXVIII. INNOCENTIUS IV. sub quo CONCIL. LUGDUNENSE I. Oecum. XIII. anno 1245. m. 1254.
CLXXIX. Alexander IV. m. 1261.
CLXXX. *Urbanus IV.* à quo Solemnitas Corporis Christi instituta fuit, Officium componente *S. Thoma Aquinate*, qua in re vir Angelicus, & ubique

* *Quicunque libros decretalium, opera B. Raymundi de Pennafort colligendos & edendos curavit.*

que magnus, communi judicio, seipso major fuit. m. 1264.

CLXXXI. Clemens IV. m. 1268.

CLXXXII. Gregorius X, sub quo Concil. Lugdunense II, Oecum. XIV. an. 1274. m. 1276.

CLXXXIII. Innocentius V. m. eod.

CLXXXIV. Adrianus V. m. eod.

CLXXXV. Joannes XXI. m. 1277.

CLXXXVI. Nicolaus III. m. 1280.

CLXXXVII. Martinus IV. m. 1285.

CLXXXVIII. Honorius IV. m. 1289.

CLXXXIX. Nicolaus IV. m. 1292. vacat sedes duobus annis.

CXC. S. Cælestinus V. qui eodem, quo Pontificatum susceepit, anno, illi renuntiavit 1294.

Seculo XIV.

CXCI. Bonifacius VIII. cujus cum *Philippo Pulchro* Rege Francorum simultates, fuerunt eo tempore celeberrimæ. Hic an. 1300. primus *Jubilæum* instituit. m. 1303.

CXCII. Benedictus IX. X. aut XI. m 1304.

CXCIII. Clemens V. sub quo Conc. Viennense, Oecum. XV. an. 1311, hic sedem Pontificiam *Avenionem* transtulit. m. 1314. vacat sedes annis duobus, & mensibus tribus.

CXCIV. Joannes XXII. m. 1333.

CXCV. Benedictus XI. aliis XII. m. 1342.

CXCVI. Clemens VI. m. 1352.

CXCVII. Innocentius VI. m. 1362.

CXCVIII. Urbanus V. m. 1370.

CXCIX. Gregorius XI. Hic relicta *Avenione*, *Romam* regressus est. m. 1378.

CC. Urbanus VI. sub

sub quo MAGNUM SCHISMA OCCIDENTIS incipit electo adversùs Urbanum, & Avenione sedente. *Clemente VII.* * Antipapa. m. 1389.

SÆCULO XV.

CCI. Bonifacius IX. m. 1404.

CCII. Innocentius VII. m. 1406.

CCIII. *Gregorius XII.* qui abdicavit anno 1409.

CCIV. Alexander V. m. 1410.

CCV. *Joannes XXIII.* aliis XXIV. abd. 1415.

CCVI. MARTINUS III. dictus V. sub quo CONCIL. CONSTANTIENSE Oecum. XVI. m. 1431.

CCVII. EUGENIUS IV. sub quo CONCIL. FLORENTINUM. Oecum. XVII. adversùs BASILEENSE, quod in schisma desierat, anno 1439. m. 1447

CCVIII. Nicolaus V. m. 1455.

CCIX. Callistus III. m. 1458.

CCX. Pius II. m. 1464.

CCXI. *Paulus II.* m. 71.

CCXII. SIXTUS IV. m. 1484.

CCXIII. Innocentius VIII. m. 1492.

SÆCULO XVI.

CCXIV. *Alexander VI.* m. 1503.

CCXV. Pius III. m. eod.

CCXVI. JULIUS II. sub quo inchoatum est CONC. LATERANENSE V. Oecum. XVIII. an. 1512. m. 1513.

CCXVII. LEO X. sub quo finitum est *Lateran. V.* & inchoatæ sunt *Tragœdiæ Lutheranæ* m. 1521.

SCRI-

* *M.* 1394. *post quem* Petrus de Luna *sub nomine Benedicti XIII. usque ad annum* 1424.

SCRIPTORES ECCLESIASTICI

Hac ætate clariores, hi sunt.

SÆCULO XIII.

XCVIII. PETRUS BLESENSIS, Archidiac. Bathonienſis in Anglia, floruit ab anno circiter 1160. uſque ad an. 1200.

XCIX. ALEXANDER HALENSIS O. FF. M. m. 1245.

C. Guilielmus Pariſienſis. Ep. hoc nomine III. Patria Arvernus m. 1249.

CI. *Vincentius Bellovacenſis* O. P. m. 1264.

CII. Hugo Card. de S. Carol. O. P. m. 1262.

CIII. Thomas Cantipratanus O. P. vixit ultra annum 1270.

CIV. Henric. Card. *Oſtienſis*. m. circ. 1267.

CV. S. THOMAS AQUINAS Doctor Angelicus O. P. m. 1274. Ær. 50.

CVI. S. BONAVENTURA O. FF. M. Generalis, deinde S.R.E.Card. Ep. Albanenſis. m. Lugduni in Concilio Generali an. 1274.

CVII. *S. Raymundus* de Pennafort. O.P. Juſſu *Gregorii IX.* libros quinque Decretalium in ordinem digeſſit. anno 1228. m. 1275. ferè centenarius.

CVIII. ALBERTUS MAGNUS Patria Suevus, O. P. S. Thomæ præceptor, abdicato Epiſcopatu Ratiſponenſi, Coloniæ m. 1280.

CIX. *Henricus Gandavenſis* m. 1295.

CX. Guillelmus *Durandus* Ep. Mimatenſis, m. 1296.

SÆCULO XIV.

CXI. Joannes Duns Scotus Doctor *ſubtilis* O. FF. M. m. 1308.

CXII. Ægidius Columna

mna Card. O. A. m. 1316.

CXIII. Petrus Aureolus Card. O. FF. M. m. 1322.

CXIV. Guido de Perpiniaco. O. Carm. m. circ. 1330.

CXV. Ludolfus Carthusian. eod.

CXVI. *Nicephorus Callistus*, Græcus Historic. circ. 1333.

CXVII. *Nicolaus de Lyra* O. FF. M. Author glossæ ordinariæ in SS. Biblia. m. 1340.

CXVIII. Guillielmus Ockam O. FF. M. m. 1347.

CXIX. *Petrus Bertrandus* Ep. Augustodunensis m. circ. 1349.

CXX. *Ioannes Thaulerus*, Germanus, O. P. circa annum 1350.

CXXI. *Ioannes Ruysbrokius* Ord. Can. Reg. S. Aug. in viridi valle propè Bruxellas. m. 1381.

SECULO XV.

CXXII. S. VINCENTIUS FERRERIUS O. P. vir verè Apostolicus. m. 1419. Ær. 70.

CXXIII. Petrus de Alliaco, Card. Ep. Camerac. m. 1425.

CXXIV. JOANNES GERSON. Cancellarius Parisiensis. m. circ. 1429.

CXXV. S. BERNARDINUS SENENSIS. O. FF. M. vir planè Apostolicus. m. 1444.

CXXVI. Alphōsus Tostatus, Ep. ABULENSIS, vir prodigiosè doctus, de quo dictum fuit; *Hic jacet Alphonsus qui scibile discutit omne*. m. 1454.

CXXVII. S. LAURENTIUS JUSTINIANUS I. Patriarcha Venet. m. 1455.

CXXVIII. S. ANTONINUS Ep. Florentin. O. P. m. 1459.

CXXIX. Joannes de Turre cremata Card. m. 1468.

CXXX. THOMAS A KEMPIS O. Can. Reg. m. 1471. Æt. 91.

CXXXI. Alexander de

de Imola J. C. m. 77.
CXXXII. Baptista PLATINA m. 81.
CXXXIII. Ioannes Picus Mirandulanus m. 94.
CXXXIV. *Gabriel Biel* m. circ. 1495.

SÆCULO XVI.

CXXXV. Felinus Sandeus J. C. m. circ. 1501.
CXXXVI. Joannes TRITHEMIUS Abbas Spanheimensis m. 1516.

EPOCHA XIV.

LUTHERUS ET HÆRESES.

Ab hujus Epochæ principio, quod incidit in annum 1517. *usque ad præsentem annum* 1725. *elapsi sunt anni* 208.

Inter assidua *Caroli V.* Imp. & *Francisci I.* Gallorum Regis bella, invalescit factio LUTHERANA, cujus Principes PROTESTANTUR anno 1529.

HENRICUS VIII. in Angliam *Schisma* invehit. 1534.

ANABAPTISTÆ tumultuantes *Monasterii* in Germania, Regem sibi statuunt *Ioannem Leydensem*, Sartorem, sed sequenti anno dissipantur. 1534.

Mortuo absque hærede Francisco Sfortia, DUCATUM MEDIOLANENSEM tamquam feudum Imperii *Carolus V.* occupat. 1535.

RESPUBLICA GENEVENSIS erigitur ann. 1526. in eaque Religio Catholica aboletur, & CALVINUS sedem figit an. 1536.

SOCIETAS JESU à *S. Ignatio* instituta, confirmatur à Paulo III. 1540.

1544. Regnum SUECIÆ decernitur *Hæreditarium* Gustavo & posteris ejus.

1548. Avita Religio per *Eduardum* Regem mutatur in ANGLIA.

1553. Restituitur per MARIAM Reginam.

1558. Pessumdatur per *Elisabetham*, quæ ab anno 1558. regnat per annos ferè 45.

1559. NOVI EPISCOPATUS XIV. eriguntur in Belgio.

1562. *Bellum Civile* in Galliis à Calvinianis excitatur.

1569. *Cosmus II. de Medicis*, Dux Florentiæ, à S. Pio V. Pontifice honoratur titulo MAGNI DUCIS HETRURIÆ.

1572. Belgii PROVINCIÆ FOEDERATÆ à Philippo II. deficiunt, atque hinc origo REIP. BATAVICÆ.

1580. Mortuo *Henrico* Cardinali, propatruo Sebastiani Regis LUSITANIÆ paulo antè in Mauritania cæsi, prædictum Regnum occupat *Philippus II.* Rex Hisp. persistitque in ejus familia usque ad an. 1640.

1582. CALENDARIUM corrigitur sub Greg. XIII.

1589. STIRPS VALESIA inchoata in *Philippo Valesio*. an. 1328. definit in *Henrico III.* ictu cultri interempto, incipitque in *Henrico IV.* stemma BORBONICUM.

1599. ALBERTI Austriaci, cum ISABELLA Hisp. Conjugio, Provinciæ Belgicæ tantisper ab Hispania separantur, usque ad annum 1633. quo *Isabella* mortua est.

1603. Regna SCOTIÆ ANGLIÆQUE junguntur sub *Iacobo VI.* Scotiæ & primo illius nominis Angliæ Rege, filio *Mariæ Stuartiæ* Reginæ, quam an. 1587. *Elizabeth* capite truncari jusserat; patre autem *Caroli I.* quem Angli sui, exemplo inaudito, in ferali pegmate securi percutiendum curarunt anno 1649.

V I.

VENETORUM cum *Paulo V.* discordiæ inchoatæ anno 1605. terminantur an. 1607. 1605.

Electoralis dignitas *Frederico V.* Palatino ademptà, donatur *Maximilano Bavaro*, & Regnum BOHEMIÆ Ferdinando Imp. asseritur. 1622.

GUSTAVUS ADOLPHUS Rex Sueciæ, extrema omnia Germaniæ intentans, victor occumbit ad Lutzam. 1632.

JANSENISMUS Ecclesiam turbare incipit. 1640.

Ioannes Brigantiæ Dux proclamatur Rex LUSITANIÆ an. 1640. & anno demum 1668. Lusitani paciscuntur ab Hispanis autonomiam, plenamque libertatem.

Seditio NEAPOLITANA auctore *Thoma Agnello*, vulgò *Masaniello*. 1647.

Pax Monasteriensis. 1648.

CHINA à *Tartaris* subjugatur. 1649.

Olivarius Cromvvel, abolita, post infame supplicium Caroli I. Regis, potestate Regia, salutatur in publicis comitiis PROTECTOR Rerump. Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ. Verùm post mortem ejus, reducitur in patrii Regni possessionem Carolus II. an. 1661. 1653.

Pax Pyrenæa. 1659.

DANIÆ proceres decernunt ut Regnum deinceps sit hæreditarium in Familia *Frederici III.* 1660.

CANDIA, sive *Creta* Insula Turcis deditur. 1669.

BATAVORUM Resp. à Gallis penè eversa. 1672.

Comitatus Burgundiæ occupatur à Gallis, moxque complura in Belgio oppida. 1674.

Pax Neomagensis. 1678.

OBSIDIO VIENNENSIS admodum formidolosa, & Christiano nomini inevitabile à Turcis intentans exitium, ope divina mirabiliter soluta. 1683.

Abrogato *Edicto Nannetensi*, Calviniana hæresis tot hactenus bellorum civilium & rebellionum fœcunda parens, è Gallia profligatur. 1685.

1668. JACOBUS II. ex Anglia pellitur, Regnumque invadit *Guillelmus Arausiacus* de genere ejus.

1697. Pax Rysvvicensis.

1700. Mors CAROLI II. Regis Hispaniæ. Contentiones de successione. Initia CLEMENT. XI. Papæ.

1701. *Elector Brandeburgicus* Fredericus I. auspiciis *Leopoldi* Imp. Coronatur *novi Regni* BORUSSIÆ *Primus Rex*, 15. Januarii.

1706. Prælium Ramilliacense ipso Pentecostes die, 22. Junii.

1713. Pax Ultrajectina.

QUENELLI Centum & una propositiones damnantur 8. Septembr.

Paschasius Quesnellus Parisinus, Presbyter Oratorii Berulliani, excessit è Gallia in Belgium anno 1685. m. Amstelodami 2. Decembr. 1719. æt. 85.

1716. Turcæ profligati in Hungaria, propè *Petrovvaradinum* 5. Augusti. *Corcyra* post diuturnam obsidionem ab iisdem derelicta 17. Septembris. *Temesvvaria*, urbs Hungariæ, munitissima, virtute *Eugenii à Sabaudia*, *Carolo VI. Cæsari* vindicatur 12. Octobris: cùm in Turcarum potestate fuisset ab anno 1552.

1717. Transmisso in conspectu hostium Danubio stupendam ex Turcis victoriam refert *Eugenius* ad *Belgradum* urbem Serviæ munitissimam, quam duobus post diebus ejusdem urbis deditio consecuta est, 18. Augusti.

1724. *Philippus V.* Rex Hispaniæ, novo exemplo, *Ludovici I.* filii sui decessor simul & successor.

1725. Pax sancita inter *Carolum VI.* Imp. & *Philippum V.* Regem Hispaniæ.

Pontifices hoc temporis intervallo ab *Adriano VI.* qui Leoni X. successit, usque ad hodiernum *Benedictum XIII.* fuere XXVIII. *Imperatores* à Carolo V. usque ad hodiernum *Carolum VI.* numerantur *X*, *Turcarum XVI.*

PON-

PONTIFICUM

Hæc fuit series atque successio.

SÆCULO XVI.

CCXVIII. ADRIANUS VI. Ultrajectinus, Doctor Lovanensis. m. 1523.

CCXIX. Clemens VII. m. 1534.

CCXX. PAULUS III. sub quo CONCIL. TRIDENTINUM. œcum. XIX. inchoatum fuit an. 1545. m. 1549.

CCXXI. Julius III. m. 1555.

CCXXII. Marcellus II. m. eod.

CCXXIII. Paulus VI. m. 1559.

CCXXIV. PIUS IV. sub quo prædictum Concil. absolutum fuit anno 1563. m. 1565.

CCXXV. S. Pius V. O. P. qui an. 1659. septuaginta novem Propositiones BAJANAS primus condemnavit, id quod postea à Gregorio XIII. & Urbano VIII. confirmatum fuit. m. 1572.

CCXXVI. GREGORIUS XIII. m. 1585.

CCXXVII. SIXTUS V. O. FF. M. m. 1590.

CCXXVIII. Urbanus VII. m. eod.

CCXXIX. Gregorius XIV. m. 1591.

CCXXX. Innocentius IX. m. eod.

SÆCULO XVII.

CCXXXI. CLEMENS VIII. sub quo celebres illæ controversiæ * de *auxiliis* Romæ habitæ sunt. m. 1605.

CCXXXII. Leo XI. m. eod.

CCXXXIII. PAULUS V. m. 1621.

CCXXXIV. *Gregorius XV.* m. 1623.

CCXXXV. URBANUS VIII. qui anno 1640. librum posthumum *Cornelii Iansenii* Ep. Iprensis, cui nomen *Augustinus*, Bulla *in emi-*

* *Inchoata an. 1598. finita sub Paulo V. ann. 1606. die 1. Martii, utrique parti silentium indictum an. 1611.*

eminenti primus damnavit. Ecclesia Iprensis, Doctrinæ Ecclesiæ sedisque Apostolicæ decisionibus subditissima, Jansenii servat cineres, damnatæ autem Doctrinæ ejus ne tenuissimam quidem scintillam retinuit. Res sanè mira, ideoque divinæ erga nos misericordiæ & protectioni singulariter adscribenda. m. Urbanus 1644.

CCXXXVI. Innocentius X. Hic Quinque famosas propositiones ex prædicto Jansenii libro excerptas, in ejusdem authoris & libri sensu condemnavit ut hæreticas, an. 1654. m. 1655.

CCXXXVII. Alexander VII. Bullam prædecessoris sui confirmavit, & *formulare* præscripsit anno 1664. Damnavit etiam 45. propositiones laxiores in re morali an. 1665. m. 1667.

CCXXXVIII. *Clemens IX.* à quo decreta prædecessorum adversùs *Iansenium* denuò confirmata sunt. m. 1669.

CCXXXIX. Clemens X. m. 1676.

CCXL. Innocentius XI. qui 65. propositiones itidem in re morali justo laxiores reprobavit an. 1679. Item 69. propositiones pseudo mysticas Michaelis de Molinò anno 1687. mortuus 1689.

CCLXI. Alexander VIII. qui an. 1690. Triginta unam propositiones, plerasque justo rigidiores reprobavit. Item alio decreto duas in partem oppositam declinantes. m. 1691.

CCXLII. *Innocentius XII.* decreta prædecessorum adversùs Jansenii doctrinam renovavit, & anno 1699. Viginti tres propositiones ex libro cui Titulus; *Maximes des Saints* ex-

excerptas condemnavit. 1700.

Sæculo XVIII.

CCXLIII. Clemens XI. anno 1705. edidit adversùs Jansenistarum cavillos bullam, *Vineam Domini sabbaoth*, & anno 1713. constitutionem *Unigenitus*, qua CI. propositiones *Quenellianas* meritissimo jure damnavit. Hanc qui sincero corde ut legem Ecclesiæ, & Orthodoxæ fidei regulam amplectuntur, & ab omnibus amplectendam sentiunt ac profitentur, genuini Ecclesiæ filii verèque Catholici sunt: qui refragantur, hærent, aut vacillant, eo honore meritò censebuntur indigni. m. 1721.

CCXLIV. *Innocentius XIII.* electus 8. Maji 1721. hic an. 1722. *constitutionem* Prædecessoris sui, ob quam à refractariis tot in Gallia turbæ excitatæ sunt, fortissimè asseruit adversùs VII. Episcoporum Galliæ temeritatem, in litteris ad Regem Christianissimum, m. 6. Martii 1724.

CCXLV. Benedictus XIII. ex Or. Prædic. electus 29. Maji 1724. natus an. 1648. Laudent eum in portis opera ejus, & quidem post fata securiùs. Quam presse inhæreat vestigiis *Clementis XI.* decessoris sui adversùs factionem Quenellianam, pluribus jam inde in literis apertissimè declaravit, minimèque dubium est, quin in *Concilio*, quod impræsentiarum Romæ celebrat, idem sit cumulatissimè præstiturus, ut refractariorum pervicacia frangatur tandem, ac penitus conteratur. *Da pacem Domine in diebus*

nostris, Pacem solidam, quam mundus dare non potest, pacem *tuam*, pacem *in veritate* fundatam. Amen.

IMPERATORES.

Hac ætate fuerunt sequentes.

Ab exitu *Maximiliani I.* annoque 1519. CAROLUS V. Belgarum princeps & Rex Hispaniæ, à *Carolo Magno*, qui occidentalis Imperii restaurator fuit, numerantur XXXIX. Imperium gessit usque ad an. 1556. Regnis omnibus abdicatis. m. an. 1558.

44. Ferdinandus I. Fr. m. 1564.

45. Maximilianus II. F. m. 1576.

46. Rodulphus II. F. m. 1612.

47. Matthias F. an. 1619.

48. Ferdinandus II. præcedentis patruelis. m. 1637.

49. Ferdinandus III. F. m. 1657.

50. LEOPOLDUS Ignatius. F. m. 1705.

51. Josephus Ignatius F. m. 1711.

52. CAROLUS VI. JOSEPHI F. Leopoldi & Eleonoræ optimorum parentū dignissimus filius, quem Deus O. M. sinceri sui cultus vindicem, diù servet incolumem. Natus est 1. Octobr. 1685.

REGES GALLIÆ

Durante hac Epocha, hi fuerunt.

58. FRANCISCUS I. Valesius, gener & cognatus Ludov. XII. ab an. 1515. m. 1547.

59. HENRICUS II. F. m. 1559.

60. FRANCISCUS II. F. m. 1560.

61. Carolus IX. Fr. m. 1574.

62. Henric. III. F. antea Rex Poloniç. oc. 1589.

63. HENRICUS IV. dictus *Magnus*, Rex Na-

Navarræ, auctorque stemmatis Borbonici. occ. 1610.

64. Ludovicus XIII. F. m. 1643.

65. LUDOVICUS XIV. F. cognomento *Magnus*, post Regnum 72. annorum mira rerum gestarum evētuumque varietate contextum, anno æt. 77. m. die 1. Septemb. 1715.

66. *Ludovicus XV.* pronepos præcedentis, natus 15. Februarii 1710. cui Deus perpetuum pacis studium & invictum avitæ Religionis ardorem inspirare & conservare dignetur.

REGES HISPANIÆ

Eodem temporis intervallo hi numerantur.

Post abdicationem *Caroli V.* qui ab anno 1516. regnaverat, factam an. 1556.

PHILIPPUS II. F. m. 1598.

Philippus III. F. m. 1621.

Philippus IV. F. m. 1665.

Carolus II. F. m. 1700.

Philippus V. Ludovici XIV. Regis Galliæ & Mariæ Theresiæ Caroli II. Sororis nepos, quo abdicante anno 1723. regnavit

Ludovicus I. Fr. m. 1724. post quem PHILIPPUS V. dimissas tantisper regni habenas resumere coactus est.

REGES ANGLIÆ

Ab initio præsentis Epochæ usque hodie hi recensentur.

HENRICUS VIII. qui post obtentum à *Leone decimo defensoris fidei* titulum, primus Anglicani schismatis auctor fuit an. 1534. m. 1547.

Eduardus IX. dictus VI. F. Calvinismum amplexus. m 1533.

MARIA Henrici VIII. Filia ex Catharina Arragonia. m. 1558.

ELIZABETA ejusdem Henrici Filia ex *Anna Bolena*, quam, repudiata Maria Arragonia, Henricus duxerat. Hæc Religionem Catholicam pessumdedit. m. 1603.

JACOBUS I. Magnæ Britanniæ, Scotiæ illius nominis VI. Rex F. Mariæ Stuartiæ. m. 1625.

Carolus I. F. indigno à suis subditis supplicio affectus anno 1649.

Carolus II. F. ab an. 1661. m. 1685.

JACOBUS II. Fr. Orthodoxæ fidei veræque pietatis zelator, ejectus à genero suo, anno 1688. in Gallia m. 1701.

Guilielmus III. Princeps Arausiacus, ab an. 1688. m. 1702.

Maria Anna F. Jacobi II. m. 1714.

Georgius Dux Hanovriensis.

SCRIPTORES ECCLESIASTICI

Fuere hac ætate penè innumerabiles. Celebriores tantùm aliquot recensebimus, citra contemptum, aut injuriam ceterorum.

CXXXVII. SILVESTER Mozolinus. Prieras. O. P. m. 1520.

CXXXVIII. ADRIANUS VI. Papa, Ultrajecti natus, Doctor Theologus Lovaniensis, Caroli V. Imp. olim præceptor. m. 1523.

CXXXIX. Joannes Franciscus PICUS, Mirandulanus, occ. 1533.

CXL. Thomas de Vio CAJETANUS S. R. E. Card. O. P. m. 1534. Æt. 66.

CXLI. Joannes Fischerus Ep. ROFEN-

FEN-

FENSIS in Anglia creatus Card. cùm esset in carcere. M. 1535. 25. Iunii.

CXLII. THOMAS MORUS Angliæ Cancellarius. M. 6. Julii. 1535.

CXLIII. Joannes DRIEDO Turnhautanus Belga. Doct. Lovan. m. 1535.

CXLIV. Desiderius ERASMUS Rotterodamus, damnatus in nonnullis, suspectus in multis, cautèque legendus in omnibus: attamen in communione Catholica mortuus ann. 1536. Æt. 70.

CXLV. Franciscus Titelmannus, Belga O M. inter CAPUCINOS, quorum reformatio primùm incœpta fuerat anno 1525. m. 1537.

CLXVI. *Sanctes Paginus*, Lucensis. O. P. Hebrææ linguæ peritissimus. m. 1541.

CXLVII. Joannes ECKIUS Theolog. Ingolstad. infatigabilis Hæreticorum adversarius. m. 1543. æt. 57.

CXLVIII. Albertus PIGHIUS Belga. m. 1543.

CLIX. Judocus *Clichtovæus* Neoportuensis Belga, Doct. Paris. m. 1543.

CL. Jacobus LATOMUS, Doct. Lovan. m. 1544.

CLI. Joannes COCHLÆUS Norimbergesins, Canonicus Uratislaviensis, catholicorum per annos ferè 30. advocatus indefessus. m. 1552.

CLII. Ambrosius *Catharinus*, Senensis. O. P. ex Episcopo Minorensi, Archiep. Compsanus. m. 1552.

CLIII. S. FRANCISCUS XAVERIUS, Navarrus, Soc. Jesu Indiarum & Japoniæ Apostolus. m. in Sinensis Regni aditu, an. 1552. æt. 55. Can. 1662.

CLIV. S. THOMAS à VILLA NOVA Archiepisc. Valentinus

O. A. m. 1555. Can. ab Alex. VII. an. 1658.

CLV. S. IGNATIUS DE LOYOLA; Cantaber. Diœcef. Pampelon. Institutor Societatis JESU .. m. 1556. æt. 65. Can. 1622. à Gregorio XV.

CLVI. Alphonsus *à Castro* Zamorensis Hisp. O. M. m. Bruxellis 1558. æt. 62.

CLVII. Joannes *Gropperus*. Colon. Archidiac. à Paulo IV. Cardinalis designatus, hunc honorem modestissimè recusavit. m. 1558.

CLVIII. Aloysius Lipomanus Ep. Veronensis. m. 1559.

CLIX. Ruardus *Tapperus*, Doct. Lovan. m. 1559. æt. 71.

CLXI. *Dominicus Soto* Hisp. O. P. Doct. Salmantic. m. 1560.

CLXII. MELCHIOR CANUS. O. P. Ep. Majoricensis. m. 1560.

CLXIII. S. PETRUS DE ALCANTARA Hisp. O. M. m. 1562.

CLXIV. Joannes *Hesselius* Doctor Lovan. m. 1566. ær. 44.

CLXV. *Ludovicus Blosius*, Abbas Lætiensis in Hannonia O. S. Bened. m. 1566. æt. 60.

CLXVI. Onuphrius *Panvinius* Veronensis. O. A. Historicus Clarissimus. æt. 39. m. 1568.

CLXVII. Judocus Ravesteyn Tiletanus, Doct. Lovan. m. 1570.

CLXVIII. Claudius *Enspencæus*, Doct. Paris. m. 1571.

CLXIX. S. FRANCISCUS DE BORGIA Soc. JESU tertius Præp. generalis, anteà Dux Gandiæ. m. 1572. ær. 62. Can. 1671. à Clemente X.

CLXX. Cornelius *Iansenius* Hulstensis, Doct. Lovan. primusque Ep. Gandavensis. æt. 66. m. 1576.

CLXXI. Bartholomæus CARANZA Navarrus, O. P. Archi-

Archiep. Toletan. æt. 72. m. 1576.

CLXXII. Didacus *Covarruvias*. Ep. Segobiensis. J. C. æt. 66. m. 1577.

CLXXIII. Laurentius Surius O. Cartusian. Colon. m. 1578.

CLXXIV. Stanislaus Hosius Cracov. Polon. Card. & Ep. VVarmiensis Pii IV. in Conc. Trid. Legatus. æt. 76. m. 1579.

CLXXV. Didacus *Stella* Lusitanus. O. M. m. circ. 1581.

CLXXVI. S. Ludovicus Bertrandus Hisp. O. P. m. 1581. æt. 55. Can. à Clemente X.

CLXXVII. Andreas *Vega* Hisp. O. M. Doctissimus Theologus in Concilio Trid. m. . . .

CLXXVIII. S. Theresia à Jesu, Abulensis, Carmeli reformatrix. m. 1582. æt. 68. Can. 1622.

CLXXIX. Joannes Maldonatus Bæticus Hisp. S. J. m. 1583.

CLXXX. S. Carolus Borromæus Card. & Archiep. Mediolanensis. m. 1584. æt. 47. Can. 1610. à Paulo V.

CLXXXI. Franciscus *Turrianus* Hisp. S. J. æt. 80. m. 1584.

CLXXXII. Alphonsus *Salmeron*, Toletanus, S. J. m. 1585.

CLXXXIII. Christianus *Adrichomius* Delphius, diligens terræ sanctæ Illustrator. m. 1585.

CLXXXIV. Joannes Molanus Doct. Lovan. vir in omni antiquitate versatissimus. m. 1585.

CLXXXV. Martinus Aspilcueta Navarrus. J. C. & Casuista celeberrimus. O. Can. Regul. S. Aug. Roncævallis. æt. 94. m. 1586.

CLXXXVI. Antonius Augustinus Cæsaraugustanus Archiep. Tarraconensis, interpres Canonum celeberrimus. æt. 70. m. 1586.

CLXXXVII. Jacobus Pamelius Bru-

Brugensis, designatus Ep. Audomarensis. m. 1587.

CLXXXVIII. VVillelmus Damasi LINDANUS, ex primo Episcopo Ruremondensi, secundus Ep. Gandensis. m. 1588.

CLXXXIX. Ludovicus GRANATENSIS O. P. æt. 84. m. 1588.

CXC. MICHAEL BAJUS Athensis, Doct. Lovan. cujus doctrina quam sortem subievit, alibi dictum est, æt. 77. m. 1589.

CXCI. Bartholomæus DE MARTYRIBUS, O.P. Archiep. Bracarensis. æt. 76. m. 1590.

CXCII. Franciscus RIPERA Hisp. S. J. XII. Prophetarum minorum commentator doctissimus. æt. 57. m. 1591.

CXCIII. Joannes *Lensæus* Belliolanus ex agro Athensis, Doct. Lovan. m. 1593.

CXCIV. S. PHILIPPUS NERIUS Florentinus, auctor Oratorii Romani, m. 1595. æt. 80. Can. 1622.

CXCV. Franciscus TOLETUS Cordubensis Hisp. S. J. Card. æt. 63. m. 1596.

CXCVI. Gilbertus GENEBRARDUS O. S. Bened. Archiep. Aquensis. æt. 60. m. 1597.

CXCVII. Petrus CANISIUS Neomagensis S. J. Catholicæ fidei defensor acerrimus. æt. 77. m. 1597.

CXCVIII. *Benedictus Arias Montanus*, Hisp. m. 1598.

CXCIX. Thomas STAPLETONUS Anglus. m. 1598.

CC. Ludovicus MOLINA Conchensis Hisp. S. J. æt. 65. m. 1600.

CCI. *Florimundus Raymundus* Consiliarius Burdigalensis, m. 1600.

SÆCULO XVII.

CCII. Gabriel VASQUEZ Bellomontanus Hisp. S. J. æt. 55. m. 1604.

CCIII.

CCIII. Dominicus Bannez Hisp. O. P. Doct. Salmantic. æt. 77. m. 1604.

CCIV. Franciscus *Fevardentius* O. M. Doct. Paris. m. circ. 1605.

CCV. Justus Lypsius Iscanus Belga. æt. 53. m. 1606.

CCVI. Cæsar Baronius Soranus. Card. Annalista Ecclesiasticus, vir doctrina & pietate celeberrimus æt. 69. m. 1607.

CCVII. Martinus Ant. Delrio Antverp. S. J. æt. 58. m. 1608.

CCVIII. Nicolaus *Cerrarius* Lotharingus. S. J. æt. 54. m. 1609.

CCIX. Benedictus Pererius Valentinus Hisp. S. J. æt. 75. m. 1610.

CCX. Antonius Possevinus Mantuanus. S. J. æt. 78. m. 1611.

CCXI. Guilielmus Estius Gorcomiensis, Doct. Lovan. & Duac. Epistolarum Apostolicarum interpres eruditissimus. æt. 70. m. 1613.

CCXII. Alphonsus Rodriquez Vallisolitanus Hisp. S. J. scriptor solidissimæ pietatis. æt. 90. m. 1616.

CCXIII. Franciscus Suarez Granatensis Hisp. S. J. Theologus polygraphus, & prodigiosè doctus æt. 70. m. 1617.

CCXIV. Jacobus Perronius (Davy du Perron.) Ep. Ebroicensis & Card. Malleus Calvinistarum. æt. 63. m. 1618.

CCXV. Franciscus Lucas Brugensis Theolog. Lovan. & Decanus Audomarensis. Interpres Euangelistarum solidissimus. m. 1619.

CCXVI. Robertus Bellarminus Politianus Hetruscus. S. J. Card. doctrina, pietate, zeloque Catholicæ Fidei toto orbe celeberrimus. Æt. 79. m. 1621.

CCXVII.

CCXVII. S. FRANCISCUS SALESIUS Ep. & Princeps Gebennensis, Institutor Ordinis Sanctimonialium de *Visitatione* B. M. V. natus in castro Salesio haud procul Annecio, 21. Aug. 1567. m. 28. Decembr. 1622. æt. 56. Can. ab Alex. VII. 19. Aprilis 1665. Vir spiritu Dei plenus; dulcisque super mel & favum.

CCXVIII. Augustinus FORNIELLUS Novariensis Italus, Barnabita. æt. 79. m. 1622.

CCXIX. *Fronto Ducaus* Burdigalensis, S. J. m. 1623.

CCXX. Nicolaus *Coeffeteau* O.P. Ep. Massiliensis. m. 1623.

CCXXI. Leonardus LESSIUS Brechtanus Belga, S. J. æt. 69. m. 1623.

CCXXII. Martinus BECANUS Belga. S. J. æt. 63. m. 1624.

CCXXIII. Joannes MARIANA Hisp. S. J. æt. ferè 90. m. 1624.

CCXXIV. Jacobus *Gretserus* Germanus. S. J. æt. 63. m. 1625.

CCXXV. Laurentius *Beyerlinck* Can. Antverp. æt. 49. m. 1627.

CCXXVI. Thomas *Malvenda* Hisp. O. P. æt. 63. m. 1628.

CCXXVII. Carolus *Scribanus* Bruxell. S. J. æt. 68. m. 1629.

CCXXVIII. Andreas *Scotus* Antverp. S. J. ætat. 77. m. 1629.

CCXXIX. Heribertus ROSVVEYDUS Ultrajectinus. S. J. æt. 60. m. 1629. Hic primus animo concepit ingens opus de *Actis Sanctorum*, quod ejus postea socii feliciter aggressi sunt, & huc usque ad XXIX. grandia volumina mediumque mensem Julium perduxerunt; nempe, Joannes BOLANDUS Limburgensis. æt. 69. m. 1665. Godefridus HENSCHENIUS Venradiensis in Geldria.

dria. æt. 81. m. 1681. Daniel PAPEBROCHIUS Antverp. æt. 87. m. 1714. Franciscus BAERTIUS Belliolanus. æt. 69. m. 1719. Conradus JANNINGUS Groninganus. æt. 73. m. 1723. Præclarissimũ opus, omnibusque eruditis æstimatissimum, Antverpiæ, ubi cœptum est, immenso hodie labore continuat vir doctissimus Joan. Baptista SOLLERIUS cum Joanne *Pinio*, Guilielmo *Cupero* & Petro *Boschio*, viris pariter eruditissimis, quos honoris & amicitiæ caussa libenter commemoro.

CCXXX. Edmundus RICHERIUS Lingonensis, Doctor & Syndicus facultatis Theolog. Paris. cujus Tractatus de *Potestate Ecclesiastica* an. 1609. editus, à duobus Conciliis Gallicanis censuratus fuit. m. 1632.

CCXXXI. Joannes MALDERUS Doct. Lovan. quintus Ep. Antverp. æt. 70. m. 1633.

CCXXXII. *Ægidius de Coninck* Belliolanus Flander, S. J. æt. 62. m. 1633.

CCXXXIII. Jacobus TIRINUS Antverpiensis. S. J. brevis solidusque scripturæ interpres. æt. 56. m. 1636.

CCXXXIV. Joannes *de Pineda* Hispalensis. S. J. eruditus interpres. æt. 80. m. 1637.

CCXXXV. CORNELIUS CORNELII A LAPIDE Belga. S. J. interpres Bibliorum celeberrimus. æt. 70. m. 1637.

CCXXXVI. Jeremias DREXELIUS Augustanus Germ. S. J. æt. 57. m. 1638.

CCXXXVII. CORNELIUS JANSENIUS Leerdamensis, Doct. Lovan. septimusque Ep. Iprensis, cujus, ob opus posthumum cui nomen *Augustinus*, sors infelicissima, satis nota est.

Non-

Nondum explero in Episcopatu biennio, peste extinguitur, 1638. ær. 53.

CCXXXVIII. Joannes *Fillesacus* Doct. Paris. m. 1638.

CCXXXIX. Joannes VVIGERS Diestensis, Doct. Lovan. ær. 67. m. 1639.

CCXL. Gabriel *Albaspinæus* Ep. Aurelianensis m. 1639.

CCXLI. AUBERTUS MIRÆUS Bruxell. Decanus Antverp. ær. 67. m. 1640.

CCXLII. Jacobus SALIANUS Avenionensis. S. J. Annalista veteris Testamenti. ær. 82. m. 1640.

CCXLIII. Armandus Joannes RICHELIUS Parisiensis. Card. Ep. Lucionensis. Regni Gallici administer celeberrimus. ær. 57. m. 1642. Hunc in simili functione secutus est Julius MAZARINUS Italus. Card. Ep. Metensis. ær. 59. m. 1663.

CCXLIV. Henricus SPONDANUS Mauleosolensis Gall. ex Calvinista Catholicus, & Ep. Appamiensis doctrina, pietate & zelo illustris. ær. 75. m. 1643.

CCXLV. Jacob. *Bonfrerius* Dionantensis. S. J. ær. 70. m. 1643.

CCXLVI. Simeon *Muisius* Aurelianensis. Archidiac. Suessionensis, vir hebraicè peritissimus. m. circ. 1644.

CCXLVII. Franciscus SILVIUS à Brania comitis. Doct. Duac. interpres S. Thomæ celeberrimus, ær. 78. m. 27. Febr. 1649.

CCXLVIII. Augustinus *Barbosa* Lusitanus. Ep. Ugentinus. Canonista celebris. m. 1649.

CCXLIX. Libertus FROMONDUS Haccurianus Eburo Doctor Lovan. & *Cornelii Jansenii* in SS. literarum professione successor, cujus etiam librum posthumum, cui nomen *Augustinus*, unà cum *Henrico Caleno* Archidiacono Me-

Mechliniensi, edendum curavit. m. 1653. æt. 66.

CCL. Franciscus Zypæus, Archidiac. Antverp. J. C. æt. 72. m. 1660.

CCLI. Jacobus Sirmondus Arvernus Ricomagensis S. J. vir profundæ & reconditæ eruditionis. æt. 93. m. 1651.

CCLII. Dionysius Petavius Aurelianensis. S. J. vir omni ex parte doctissimus, & chronologorum antesignanus. Æt. 69. m. 7. Decemb. 1652.

CCLIII. Philippus *Alegambe* Bruxell. S. J. continuator Bibliothecæ scriptorũ S. J. post *Petrum Ribadineiram* Toletanum, qui æt. 84. Madriti obiit anno 1611. Hic autem Romæ m. 1652.

CCLIV. *Sidronius Hoſchius* Markensis Belga. S. J. Poeta elegantissimus. æt. 57. m. 1653.

CCLV. Nicolaus *Rigaltius* Parisiensis, Consiliarius Regius Metensis. æt. 76. m. 1653.

CCLVI. Lucas *VVadingus* Hibernus. O. M. m. Romæ circ. 1655.

CCLVII. Joannes Stephanus Menochius Papiensis Italus, celeberrimi illius jurisc. filius S. J. æt. 80. m. 1656.

CCLVIII. Ioannes Morinus Blesensis, Presbyter Oratorii Gallicani, opera Card. Perronii ad fidem Catholicam conversus. æt. 68. m. 1659.

CCLIX. Joannes de Lugo Madritensis S. J. Card. æt. 77. m. 1660.

CCLX. Lucas *Holstenius* Hamburgensis. æt. 65. m. Romæ 1661.

CCLXI. Petrus de Marca Bearnensis, ex Consiliario Regio Ep. Consorannensis an. 1648. deinde an. 1652. Archiep. Tolosanus. Demum nominatus Archiep. Parisiensis,

sed

sed ante aditam possessionem m. æt. 88. an. 1662.

CCLXII. Scriptoribus portus Regii, ob amicitiam singularem adjungitur *Blasius Paschalis*, subtilis ingenii Mathematicus, qui sub nomine *Ludovici Montaltii* LITERAS PROVINCIALES edidit, quas amici ejus, ut Jesuitarum nomen & doctrinam latiùs adducerent in invidiam, Jansenioque simul & Arnoldo gratiam conciliarent apud exteros, in varias linguas transfundendas curarunt. æt. 39. m. 1662.

CCLXIII. *Theophilus Raynaudus* Cespitellensis Gallus. S. J. polygraphus, scripsit enim XIX. volumina in folio. æt. 77. m. 1663.

CCLXIV. Antonius SANDERUS Gandavensis, Can. & Pœnitent. Iprensis, vir, Flandria illustrata, aliisque libris editis celeberrimus. æt. 77. m. in Abbatia Affligemiensi 1664.

CCLXV. Philippus LABBÆUS Bituricensis. S. J. æt. 60. m. 1667.

CCLXVI. Sforza PALAVICINUS Roman. S. J. Card. Scripsit accuratam Concilii Tridentini Historiã adversùs Historiam *Petri Suavis Polani* vulgò, qui æt. 71. m. 1623. At *Pelavicinus*, æt. 60. m. 1667.

CCLXVII. Leo *Allatius* Chiensis græc. æt. 83. m. Romæ 1669.

CCLXVIII. Antonius GODEAU Ep. Vencienfis & Grassensis. æt. 67. m. 1672.

CCLXIX. Joannes BONA à Monte regali in Subalpinis, sive Pedemontio. Ord. Cisterc. Card. pius & doctus. æt. 63. m. 1674.

CCLXX. *Guilielmus Herinex* Helmondanus. O. M. XII. Ep. Iprensis. Vix dũ expleto in Episcopatu mense decimo, æt. 58. m. 1678.

CCLXXI.

CCLXXI. Joannes Launoyus Presbyter Diœcesis Constantiensis in Normannia, Doct. Paris. vir doctus, sed supra modum criticus. æt. 75. m. 1678.

CCLXXII. *Jacobus VVallius* Cortracensis. S. J. Poeta celeberrimus m. 1690. nonagenario major.

CCLXXIII. Christianus Lupus Iprensis. O. A. Doct. Lovan. in omni antiquitate versatissimus. æt. 69. m. 1681.

CCLXXIV. Joannes *Garnerius* Parisiensis S. J. æt. 69. m. 1681.

CCLXXV. Carolus *Le Cointe* Trecensis. Presb. Orat. Gallic. æt. 70. m. 1681.

CCLXXVI. Isaac le Maitre Sacy, scriptor Portu-Regiēsis. æt. 71. m. 1686.

CCLXXVII. Lucas *Dacherius* Quintinopolitanus in Picardia O. B. æt. 76. m. 1685.

CCLXXVIII. Joannes Cabassutius Aquensis Presb. Orat. æt. 81. m. 1685.

CCLXXIX. Joannes Baptista *Cotelerius* Nemausensis, græcè doctissimus. æt. 58. m. 1686.

CCLXXX. Carolus *Cangius* Ambianensis. æt. 67. m. 1688.

CCLXXXI. *Henricus* & *Adrianus* Valesii Fratres. ille æt. 72. m. 1676. hic verò æt. 89. m. 1692.

CCLXXXII. Emmanuel *Schelstraten* Antverp. Biblioth. Vatican. æt. 46. Romæ m. 1692.

CCLXXXIII. Antonius Arnaldus Parisiensis, Doct. & Socius Sorbonicus, amicus & discipulus Joannis Vergerii de Havranne Abbatis Sancyrani, qui m. 1643. Famosa Arnaldi propositio asserens *exhiberi nobis in B. Petro hominem justum, cui defuit gratia sine qua nihil fieri potest, in ea occasione in qua dici non*

non potest eum non peccasse, an. 1656. à Facultate Theologica Parisiensi censurata est; ipse loco motus, plurimis annis in sanctimonialium *Portus-Regii* Monasterio solitariam vitam duxit. Anno 1679. è Galliis excessit in Belgium, tandemque Bruxellis obiit 8. Aug. 1694. Ætat. 83. Janseniani libri ad mortem usque defensor acerrimus.

CCLXXXIV. Petrus NICOLE Carnutensis, alter Portus-Regii scriptor celebris Æt. 65. m. 1695.

CCLXXXV. Ludovicus Sebastianus le Nain TILLEMONTIUS, Presb. scriptor Portu-Regiensis, Historicus accuratissimus. Æt. 70. m. 1698.

CCLXXXVI. Antonius PAGI. O. M. eruditus Chronologus. Æt. 65. m. 1699.

CCLXXXVII. Josephus Saenz d'*Aguirre* Hisp. O. B. Card. Ær. 69. m. 1699.

CCLXXXVIII. Armandus Joannes *Bouthilier de Rancè* Abbas B. Mariæ DE TRAPPA O. Cisterc. in Diœcesi Sagiensi (Sees) ejusdemque Cœnobii ad veteris disciplinæ monasticæ austeritatem Reformator celeberrimus. æt. 76. m. 27. Octob. 1700.

SÆCULO XVIII.

CCLXXXIX. Martinus STEYARTIUS Somerghemius Flander. Doct. Lovan. & ab anno 1674. usque ad 1687. Canonicus & Theologus Iprensis. Dein Lovanium redux, adversùs gliscentes novitates murum se aheneum præbuit pro domo Dei. æt. 54. m. 17. Apr. 1701.

CCXC. Henricus NORIS Veronensis O. A. Card. Eruditissimus. æt. 73. m. 1704.

CCXCI. Jacobus Benignus BOSSUETIUS

TIUS Divionensis, ex Condomensi, Ep. Meldensis. Hæreticorum debellator fortissimus, æt. 76. m. 12. Apr. 1704.

CCXCII. Joannes Baptista *Hamelius*. D. Paris. æt. 83. m. 706.

CCXCIII. Paulus PEZRONIUS Hannebontensis in Britannia Minori O. Cist. Doct. Paris. Abbasque Charmojensis. æt. 67. m. 1706.

CCXCIV. Antonius *Massoullæus* Tolonensis O. P. æt. 73. Romæ m. 1706.

CCXCV. Joannes MABILLONIUS Rhemensis. O. B. æt. 75. m. 1707.

CCXCVI. Theodoricus *Ruinartius* Rhemensis. O. B. æt. 56. m. 1709.

CCXCVII. *Richardus Simon* Deppensis, criticus celebris. ætat. 76. m. 1712.

CCXCVIII. *Gaspar* Juenin Presb. Orat. Gall. edidit Institutiones Theologicas ob suspicionem Jansenismi à quibusdam Galliæ Episcopis censuratas, Romæque prohibitas à paucis an. obiit.

CCXCIX. Stephanus BALUZIUS Tullensis. æt. 88. m. 1718.

CCC. Petrus Daniel HUETIUS Cadomensis, Ep. Abrincatensis, vir tota Europa doctrina & eruditione clarissimus æt. 91. m. 26. Januar. 1721.

CCCI. Ludovicus Ellies DU PIN Doct. Paris. vir plurimæ lectionis & scriptionis, sed novitati, immodicæ crisi, & Jansenianis Quenellianisque partibus addictus, ideoque non semel atro carbone notatus. m. circ. 1722.

CCCII. Claudius FLEURY Parisiensis scriptor Historiæ Ecclesiasticæ, æt. 83. m. 4. Julii 1723.

CCCIII. NATALIS ALEXANDER O. P. vir multijugæ lectionis, magnæque eruditionis; sed qui in sene-

senectute sua eò se adduci passus est, ut à Constitutione *Unigenitus* ad futurum Concilium appellaret. æt. 86. m. Luteriæ 27. Aug. 1724. Concedatur mihi ut reliquos vita functos, qui ingenti numero supersunt, eosque qui usque hodie in vivis sunt, tacitus prætermittam. Ægrè tamen mihi tempero, quin ex his cum grata animi testificatione commemorem celeberrimos veritatis athletas Cardinalem BISSIUM, Ep. nunc Meldensem, Josephum LANGUETIUM Ep. Suessionensem, & Jacobum FONTANUM S. J. ex oppido VVinoci-bergensis Diœcesis. Iprens. oriundum, quorum, apud posteritatem non omnino ingratam, perpetua vivet vigebitque memoria.



§. VI.

§. VI.

QUARTA TEMPORUM DIVISIO.

PER VETERES MONARCHIAS.

DE Numero, ordine & duratione veterum Monarchiarum non exigua est opinionum differentia. *S. Augustinus* * rem generali ratione expendens „ inter plurima „ inquit, Regna terrarum, in quæ terrenæ „ utilitatis, vel cupiditatis, est divisa socie- „ tas (quam Civitatem mundi hujus univer- „ sali vocabulo nuncupamus) *duo regna* cer- „ nimus longè ceteris provenisse clariora, „ *Assyriorum* primum, deinde *Romanorum*, ut „ temporibus, ita locis inter se ordinata at- „ que distincta. Nam quomodo illud prius, „ hoc posterius, eo modo illud in Oriente, „ hoc in Occidente surrexit: denique in il- „ lius fine hujus initium confestim fuit. Re- „ gna cetera, ceterosque reges velut *appendices* istorum dixerim. „ Licet igitur varia fuerit magnorum imperiorum etiam in oriente vicissitudo atque successio, inter Assyrios, Medos, Chaldæos, Persas, atque Macedonas, quia tamen quasi idem hic semper fuit præterlabentium aquarum alveus, qui, mutatis aquis, non ideò nomen mutare consuevit, idcircò generali Assyriorum nomine regna isthæc omnia comprehendi posse censuit

* *Lib.* 18. *Civ. Dei* c. 2.

Augustinus. Prævaluit interim ex libri Danielis Capite secundo ac septimo, *Quaternus* veterum Monarchiarum numerus, *Chaldæorum*, *Persarum*, *Græcorum*, ac *Romanorum*, tametsi sciam non deesse hodie eruditos, qui neque in septimo, neque in secundo præfati libri capite existiment quidquam esse quod ad Romanorum imperium referri debeat. Juvabit equidem audire quid de hac re habeat sæculi quinti scriptor elegantissimus * *Severus Sulpitius*, ubi agit de *somnio Nabuchodonosoris*, quod *Daniel* interpretatus est. „ Viderat, inquit, Rex per soporem imaginem capite „ aureo, pectore brachiisque argenteis, ventre „ & femoribus æneis, cruribus ferreis, „ quæ in pedes partim ferreos, partim fictiles „ desinebat. Sed ferrum atque testa inter„ confusum coire non poterat. Ad extre„ mum, imaginem lapis sine manibus abscis„ sus proterebat: redactaque omnia in pul„ verem, vento ablata. Igitur secundùm „ Prophetæ interpretationem, imago visa, „ figuram mundi gerit. *Caput aureum*, *Chal„ dæorum* imperium est: siquidem id pri„ mum & opulentissimum fuisse accepimus. „ *Pectus & Brachia argentea* secundum re„ gnum annuntiant; CYRUS enim, victis „ Chaldæis atque Medis, imperium ad *Per„ sas* contulit. In *ventre æreo* Tertium re„ gnum portendi pronuntiatur; idque imple„ tum videmus. Siquidem ALEXANDER „ ereptum Persis imperium, *Macedoniæ* vin„ dicavit. *Crura ferrea*, imperium quartum, „ idque *Romanum* intelligitur, præ omni„ bus antè regnis validissimum. Pedes verò „ *partim ferrei*, *partim fictiles*, *dividendum* „ esse Romanum regnum, ita ut numquam „ inter se coeat, præfigurant: quod æquè

* *Hist. sac. l. 2.*

Dan. 2.

* im-

„ * impletum est: siquidem jam non ab uno „ Imperatore, sed etiam à pluribus semperque inter se armis, aut studiis dissentientibus, res Romana administratur ..... In *lapide* verò *sine manibus* abscisso, qui aurum, argentum & ferrum testamque comminuit, *Christi* figuram esse. Is enim non conditione humana editus (si quidem non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est) mundum istum, in quo sunt regna terrarum, in nihilum rediget, regnumque aliud incorruptum atque * perpetuum, id est, futurum sæculum, quod Sanctis paratum est, confirmabit.

* *Sed pe Severi tẽpo a multo illustrius, quando in varias partes, velut quosdam digitos, per incursiones Barbarorum, discissum fuit.*

* *Quod* destructa Idololatria, *jam inde per Fidem & Charitatẽ in cordibus fidelium* inchoatũ *est.*

Adjungamus *Hieronymum* „ qui lib. 1. in Dan. sic scribit; „ *Caput*, inquit, *aureum tu es Rex*, per quod ostenditur primum regnum *Babylonium* auro pretiosissimo comparatum. *Et post te consurget regnum aliud minus te &c.* Medorum videlicet atque *Persarum*, quod argenti habet similitudinem minus priore, & majus sequente. *Et regnum tertium aliud æneum, quod imperabit universæ terræ*, Alexandrum significat & regnum *Macedonum*, successorumque Alexandri; quod rectè æneum dicitur. Inter omnia enim metalla æs vocalius est & tinnit clariùs, & sonitus ejus longè lateque diffunditur: ut non solum famam & potentiam regni, sed & eloquentiam græci sermonis ostenderet. *Et regnum quartum erit veluti ferreum* &c. Regnum autem quartum, quod *perspicuè* pertinet ad *Romanos*, ferrum est, quod comminuit & domat omnia: sed pedes ejus & digiti ex parte *ferrei*, & ex parte sunt *fictiles*, quod hoc tempore manifestissimè comprobatur. Sicut enim in principio nihil Romano imperio fortius & durius fuit, ita

„ in fine rerum nihil imbecillius: quando
„ & in bellis civilibus, & adversum diver-
„ sas nationes, aliarum gentium barbara-
„ rum indigemus auxilio. In fine autem ho-
„ rum omnium regnorum, auri, argenti,
„ æris & ferri, abscissus est *lapis*, Dominus
„ atque Salvator, *sine manibus*, id est, absque
„ coitu & humano semine, de utero virgi-
„ nali, & contritis omnibus regnis factus est
„ *Mons Magnus*, & implevit universam terram.

Cap. 7. Res eadem per visionem ipsi *Danieli*, sed sub alia figura, quatuor videlicet Bestiarum de mari ascendentium, exhibita fuit. Prima quasi *Leæna*, quæ alas habet Aquilæ, communi interpretatione regnum *Babylonium* designabat. Secunda similis *urso*, cui terni in ore erant dentium ordines, Regnum *Persarum* figurabat. Tertia, quasi *Pardus*, quaternis alis totidemque capitibus instructa, Alexandri *Græcorumque* imperium præferebat, Bestia *Quarta* terribilis atque mirabilis & fortis nimis: dentes *ferreos* habens magnos comedens atque *comminuens*, & reliqua pedibus suis *conculcans*; *dissimilis* autem cæteris bestiis quas Daniel antè conspexerat, hæc, inquit *Bened. Pererius*, „ ut *omnes interpretan-*
„ *tur*, & res ipsa loquitur, imaginem & si-
„ militudinem referebat *Imperii Romani* „ id quod deinceps singillatim latiusque persequitur, Scio quosdam hodie & in statuæ Nabuchodonosori, & in quartæ bestiæ Danielicæ explicatione, *Porphyrium* sequi potiùs quàm *Hieronymum*, Regnumque *Macedonum*, post Alexandri mortem variè divisum, quarto loco utrobique intelligere. At cùm ea controversia non multùm faciat ad rem nostram, qui imperiorum vicissitudines & successiones, juxta ordinem temporis, pro sa-

crarum præsertim literarum intelligentia, breviter enarrare decrevimus, licebit nobis communem veterum opinionem sequi, quæ & fortassis verior est, & certè proposito nostro congruentior. A rebus ergo Chaldæorum, ad quas Assyrias Medasque reducimus, sumemus exordium.

§. VII.

Imperium Assyriorum, Medorum et Babyloniorum.

Fatentur omnes, antiquitates Assyrio-Medo-Babylonicas plenas esse obscuritatis atque caliginis. Non tantùm in duratione temporis, sed & in successionis ordine, & personarum designatione mira varietas est. Reges, quorum in Scripturis mentio est, ægrè admodum cum historia profana rediguntur in concordiam. Quisquis eam rem penitiùs inspicit, invenit quod in aliorum methodis reprehendat, & se novi aliquid adferre posse existimat, sed quod posteriorum iterum palato neutiquam satisfacit. Solertiam eorum, qui eam tentant hodiè, vel olim tentavere concordiam, minimè aspernamur, modò sacris litteris, quæ utique extra omnem falsi suspicionem positæ sunt, ea deferatur veneratio, ut profanis omnibus in immensum præferantur, ita ut hos errasse non dubitemus, si cum Scripturis conciliari nullo modo posse videantur. Nobis neque otii satis, neque scientiæ est, ut in hac re novi aliquid proferamus. Sufficiet exhibere quid alii nobis doctiores, post diligentem diuturnamque inquisitionem, statuendum esse judicaverint.

*m. 1706. *Paulus Pezronius* scriptor * recentis memoriæ, qui tempus quod Christum anteceffit, longiùs, quàm fieri vulgò soleat, extendendum putavit * *Chaldæorum* sive *Babyloniorum* Imperio longissimam quam potuit durationem attribuit. Initium ejus refert ad dispersionem gentium sub *Nemrode* filio Chus, annumque mundi 2787. ante Christum autem 3085. 531. post Diluvium.

*Numerat, uti alibi dictum est, ab orbe condito ad Æram vulg. ann. 5872.

Ponit eodem tempore conditam ab *Assur* filio *Sen* NINIVEM Metropolim *Assyriorum*, à quo post multas generationes ortus fit *Belus* primus eorumdem Monarcha. Post annos 300. * constituit septem Reges *Chaldæos* Babylone regnantes per annos 225. quorum primus *Evechous*.

*Ab anno ante Chr. 2806.

Deinceps sex alios *Arabes*, per annos * 215. quorum primus fuerit *Mardocentes*, aliter dictus *Merodach*. Horum durante imperio natum ponit * *Abrahamum*, postque annos 89. à nativitate Abrahami, *Belum* regem Ninives, victo *Nabonado*, Arabum illorum regum ultimo, captaque Babylone, inchoasse * ait MONARCHIAM ASSIRIORUM, quæ sub XLI. Regibus duraverit annis 1460.

*Ab anno ante Chr. 2561.

*Anno ante Chr. 2435.

*Anno ante Chr. 2546.

Post Belum (qui in Deorum numerum ab Ethnicis relatus fuit) regnavit *Ninus*, dein Semiramis Nini vidua, à rebus gestis apud Græcos celeberrima, posteà *Ninyas* priorum filius, exinde XXXVII. reges inglorii usque ad *Sardanapalum* eorum ultimum, quo sublato, *Arbaces* Assyriorum Imperium ad MEDOS transtulit anno ante Chr. 886.

Medorum regnum durasse ait annis 350. usque ad *Cyrum* primum Persarum regem.

At intereà post annos XXIV., annoque ante Christum 862. *Ninus Júnior* NOVUM ASSYRIORUM REGNUM fundat in urbe Ninive,

nive, pro veteri per *Medos* paulo ante destructo, duraturum annis circiter 237. donec per *Cyaxarem* Medorum regem dissipetur. Hujus successores statuit *Sacchoram* ac dein *Tilgamum* seu *Tilgat*, notos apud * Ælianum. Alios deinde, quos scripturæ commemorant *Phul*, *Teglatphalasar*, SALMANASAR, qui regnum Israel destruxit decemque tribus in captivitatem abduxit. SENNACHERIB, ex cujus exercitu, tempore *Ezechiæ* Regis Juda, 185000. virorum, una nocte, Angelo cædente perierunt; ipse Ninivem reversus à filiis interemptus est. Sequitur *Assaraddon* Sennacheribi tertius filius, à cujus copiis Hierosolyma capta & Rex *Manasses* Babylonem abvectus est, brevi tamen post tempore rediturus.

* *Lib.* 12. *Animal. Cap.* 21.

Dum hæc agebantur in Assyriis, NOVUM BABYLONIS REGNUM exsurrexerat per NABONASSARUM, qui anno ante Chr. 747. Chaldæos *Medis* tributarios, horum jugum excutere docuit, quo tempore *Artæus* Medorum rex bellum Cadusiis inferebat, & post 1599. annos, quibus caruerant Regibus, potestatem nomenque Regium suæ genti revindicavit duraturum annis 67. Novem ejus, in *Ptolomæi* canone, recensentur successores, usque ad *Assar-Addonem* Assyriorum regem, qui Babylonium regnum suo imperio adjecit, anno ante Chr. 680. Quintus à Nabonassaro *Mardocempadus* dictus, idem esse putatur qui apud Isaiam *Merodach-Baladan* nuncupatus est.

Assar-Addoni Assyriorum simul ac Babyloniorum Monarchæ succedit *Saosdochinus*, quem eum ipsum putant, qui in libro *Judith Nabuchodonosor* nominatur. Posteà *Ciniladanus*, quem *Cyaxares* Medorum Rex, adjuncto sibi

Nabopolassaro satrapa Chaldæorum, vicit, & secundo Assyriorum regno finem imposuit anno ante Christnm 625.

En novum rursus Regem Babylonium *Nabopolassarum*, cùm regnum Chaldæorum, 55. annis sub Assyriorum potestate fuisset. Regnavit hic, consentiente Cyaxare, sub annum XIV. *Iosiæ* Regis Juda, regnavitque Babylone 21. annis. Hujus filius *Nabuchodonosor*, ob rerum gestarum magnitudinem victoriarumque multitudinem, cognomento *Magnus* Judæam subjugavit, Judæos in captivitatem Babylonicam abduxit, Hierosolymam Templumque incendit anno ante Chr. 586. ita tamen ut 70. *Anni Captivitatis Babylonicæ* 20. ferè annis anteà inchoentur, ab anno nempe ante Christum 605. Regnavit annos 43. Succedit filius *Evilmerodach*. Huic post biennium *Neriglissorus* gener Nabuchodonosori. Neriglissoro post annos IV. filius *Laborosoarchodus* IX. mensibus, quo sublato, regnat *Nabonidus* Evilmerodachi filius, qui in Danielis libro BALTHASSAR dicitur, annis 17. Atque hic Babyloniorum regnum totiusque hujus primæ Monarchiæ ultimus est, cùm à Nembrode usque ad hoc tempus fluxisseat anni 2548. Sequitur *Cyaxares* Medorum Rex, *Cyri* Persarum Regis avunculus, qui in sacris literis DARIUS MEDUS dicitur, quo post biennium mortuo, CYRUS totius orientis potitus est, anno ante Chr. 536.

Hanc primæ Monarchiæ dispositionem ex * *Iosepho Scaligero* majori ex parte mutuatum esse *Pezronium*, ex subjecto schemate facilè apparebit.

* *Natus erat Agenni in Gallia Patre* Iulio Cæsare Scaligero *Viro doctissimo. M. Lugduni Batav. An.* 1609. *Æt.* 69. *deserta religione Catholica quã à Parentib. hauserat. Prodigium sanè ingenii & eruditionis, sed & vanitatis atque jactantia, uti observavit* Huetius.

DIS-

DISPOSITIO JOSEPHI SCALIGERI.

Dynastia Chaldæorum in Babylonia.

1. EVECHOOS, qui Syncello Nemrod est, Sex successores obscuri. Anni Dominationis CCXXIV.

Dynastia Arabum *in Babylonia.*

Sex numero Reges obscuri, nisi quòd nomina ab Africano prodita. Anni dominationis 216. Ultimo Rege ex Arabum familia debellato, *Belus* anno 27. Imperii sui, Assyriorum regnum cum Babylonio conjunxit.

Dynastia Assyriorum in Oriente.

1. BELUS.
2. NINUS.
3. SEMIRAMIS. Deinceps XXXVI. obscuri.
4. NINYAS ZAMES ...
9. ———— Abraham nascitur.
22. ———— Moses nascitur.
25. ———— Exodus Israelitarum.
33. ———— Troja Capta.
37. ———— Templ. Salomonis conditum.
41. *Tonosconcoleros*, qui & Græcis SARDANAPALUS. A Belo ad Sardanapali finem annos numerat 1484.

Dynastia Medorum & Babyloniorum.

MEDI	BABYLONII
1. ARBACES, Sardanapali victor.	
2. Mandauces F.	
3. Solarmus. *Initium Olympiadum*	
5. Artycas.	1. NABONASSAR deficit à Medis.

D 5   5. Ar-

5. Arbianes	
6. DEJOCES Herodoti, Arsæos Ctesiæ, 40. ann.	10. Mardokempadus.
7. PHRAORTES Artynes, 22. ann.	11. Jeraedinus.
8. CYAXARES 40. ann.	12. Saosducinus.
	14. Nabopolassar.
	15. NABUCHODONOSOR.
9. ASTYAGES al. Apandas, 40. ann. regnavit.	16. Evilmerodac.
	17. Neriglissorus.
	18. Nabonidus, seu DARIUS MEDUS.

CYRUS.

Dynastia Assyriorum post Sardanapalum.

MEDI		ASIYRII.
1. Arbaces.		**
		Phul.
		Teglath-phalasar.
4. Artycas.	Babyl.	Jareb.
	NABONASSAR.	Sargon.
		Salmanasar.
5. Phraortes.		Sennacherib.
		Asarhaddon.

Dispositionem hanc Scaligerianam partim sequitur, partim refellit *Dion. Petavius*, qui opus Scaligeri *de emendatione Temporum*, in suo *de doctrina temporum*, emendandum suscepit. Hoc ejus opus consuli poterit ab eruditis. Cæterùm fatetur vir doctissimus totam hanc rem densissimis undique tenebris circumseptam esse, solisque penè niti conjecturis.

Pro-

Probabilis, inquit, conjectura est, post Assyrios; aliquanto spatio defecisse ab Medis *Babylonios*, ac privatum sibi stauisse regnum duce *Nabonassaro*, quod regnum initio tenue, & Assyriis obnoxium, ab *Nabopolassaro*, ejusque filio *Nabuchodonosoro* amplificatum est, ut & *Medos* ipsos, *Assyriosque* sibi subjiceret. De qua re posteà. Sed obscurissima sunt illius Imperii primordia; de quibus nihil præter conjecturam ferè reliquum habet historia. Hactenus *Petavius*. *Rationa. temp. p. 1. l. 2. c. 6.*

Iacobus Usserius * celebris annalium vet. Test. scriptor, priores partim secutus est, partim de suo aliquid addidit, quem hodiè, expresso ejus, vel tacito nomine, recentiores plerique Chronologi sequuntur.

* *Religionis Anglicana, Archiep. Armachanus m. 1655. æt. 75.*

Hæc igitur est primæ Monarchiæ

DISPOSITIO USSERIANA.

Anno mundi

1770	NEMROD post Diluvium 114. ante æram vulg. 2234.	
2090.	Amraphel, & Codorlahomor.	*Abraham.*
2242.	*Evechous*, seu Belus Babylonius.	*Isaac.*
2466.	*Arabes* succedunt.	*Moses.*
2682.	BELUS Assyrius.	*Debora.*
2737.	NINUS.	*Gedeon.*
2789.	SEMIRAMIS.	*Iephte* Troja capta
2840.	NINYAS F.	
	post multos obscuros PHUL. 4. Reg. 15. 19.	*Samson.*
	SARDANAPALUS F.	*Achaz* Rex Iudæ nascitur.

MEDI.	ASSYRII.	BABYLONII.
ARBACES.	*Ninus* junior, seu Teglat-phal-asar.	*Baladan* seu NABONASSAR
Αὐτονόμοι	*Salmanasar.*	*Merodach* F.
DEJOCES.	*Sennacherib.*	seu Mardokempadus.

	ASAR-HADDON jungit Assyrios & Babylon. aliter Assaridinus.
Phraortes.	*Saosduchinus*, seu Nabuchodonosor libri Judith.
Cyaxares.	*Saracus*, al. *Chiniladanus*.
Astyages Cyri avus.	NABOPOLASSAR.
	NABUCHODONOSOR II. dictus Magnus.
CYAXARES Cyri avunculus, seu DARIUS MEDUS.	*Neriglissorus.* *Laborosoarchodus.* *Nabodinus*, seu BALTHASSAR Cyaxares, Darius Medus.

CYRUS.

Ordinem hunc Usserianum sequitur hodie *Augustinus Calmet* O. S. Bened. celebris Scripturarum interpres. Ad amussim eum etiam adoptavit Doctissimus BOSSUETIUS in dissertatione de Historia Universali. Non abs re mihi visum est clarissimi viri observationes, quas subjungit, huc transferre. Necesse est, inquit, hoc loco, qui ob difficultatem conciliandæ Historiæ Sacræ, cum Profana, totius Chronologiæ intricatissimus est, nonnihil subsistere. Observaveris procul dubio,

Se-

Serenissime Princeps (Delphinum Galliæ, suum olim discipulum, alloquitur) quam de *Cyro* institui narrationem admodum differentem esse ab ea, quam tibi *Justinus* exhibuit, apud quem nulla mentio secundi Assyriorum Imperii, nulla Assyriorum Babyloniorumque regum illorum, qui in sacris litteris celeberrimi sunt; narrationem quoque meam nullo modo congruere cum serie primarum Monarchiarum, qualem ille adstruit, ponens primam finiisse in Sardanapalo, successisse Medos, eosque desiisse in Astyage avo Cyri, post hos Persas ab Alexandro debellatos.

Justino jungi potest *Diodorus*, unà cum plerisque auctoribus Græcis atque Latinis, quorum monumenta ad nos usque pervenerunt, qui omnes aliam viam tenent, ab ea quam nos tenendam esse putamus.

Quod ad *Cyrum* attinet, de vita & rebus ab eo gestis, inter authores profanos neutiquam convenit. Nos secuti hac in parte *Hieronymum*, Xenophonti potiùs adhærendum existimavimus, quam *Ctesiæ* scriptori vano & fabuloso, quem interim Græcorum plerique transcripserunt, uti Græcos, Justinus & Latini; imò *Xenophontem* prætulimus etiam *Herodoto*, magni licet judicii historico. Eò me impulit non modò major verisimilitudo narrationis Xenophonticæ, sed præsertim quòd accuratiùs congruat historiæ sacræ; quæ vel ob solam antiquitatem, partemque notabilem, quam in Orientis negotiis Israelitæ habuerunt, græcorum historiis omnibus longè præferenda esset, etiamsi non constaret (uti nobis certò constat) divinitus inspiratam esse.

Hieron. in Dan.

Quod de tribus prioribus Monarchiis græ-

ci

ci plerique scripserunt, dubium visum est iis qui inter eos præ ceteris sapientiæ laude floruerunt. *Plato* loquens de sacerdotibus Ægyptiorum generatim ostendit Græcos omnes in magna antiquitatis inscitia vixisse. *Aristoteles*, Assyriacarum rerum historias, ad fabulas relegare solebat.

Plat. in Tim.

Arist. Polit. V. 10.

In causa fuit, quod Græci serò ad scribendum accesserint, magisque delectare volentes curiosos popularium animos quàm solida veritate imbuere, monumenta secuti sint obscura atque confusa, satis habentes concinno ea ordine digerere, de veritate parùm soliciti.

Et certè series ordinaria primarum trium Monarchiarum evidenter fabulosa est. Postquam enim sub Sardanapalo *Assyriorum* Imperio finem imposuere, in scenam proferunt *Medos*, post hos *Persas*, quasi verò Medi in totam Assyriorum potentiam successissent, Persæque à Medorum ruina dominatum fuissent auspicati.

Atqui contra certum est, *Arbacem*, qui adversùs Sardanapalum conjuravit, non occupasse Assyriorum Imperium, sed Medos dumtaxat in libertatem vindicasse. *Herodotus*, quem doctiores chronologi hac in parte sequuntur, post annos demum à defectione quinquaginta, primum Medorum regem exhibet *Dejocem*, & aliunde constat ex concordi gravissimi hujus historici & Xenophontis testimonio, ut jam de ceteris nihil dicam, eo tempore, quod Medorum Imperio attribuitur, potentissimos fuisse Reges Assyriorum, quos totus formidaret oriens, quorumque, capta Babylone, imperium *Cyrus* evertit.

Herod. lib. 1, *c.* 26.27.

Herod. lib. 1. *Xenoph. Cyrop. V. VI. &c.*

Si itaque plerique Græcorum & qui eos secuti sunt, Latinorum, non meminerunt re-

regum illorum Babyloniorum; si nullum magno huic Imperio locum dant inter primas Monarchias; si in eorum denique libris nulla ferè mentio fit Regum in sacris literis Historiisque orientalibus celeberrimorum, puta Teglath-phalasari, Salmanasari, Sennacheribi, Nabuchodonosori, aliorumque: id vel ignorantiæ Græcorum, qui plus operæ dare solebant eloquentiæ quam inquirendæ veritati; vel certè jacturæ, quàm fecimus, exactioris historiæ tribuendum esse videtur.

Promiserat sanè *Herodotus* editurum se historiam peculiarem rerum Assyriacarum, quam certum est non extare, sive hæc temporum injuria perierit, sive defuerit illi tempus eam componendi. Credi autem fas est historicum tam accuratum minimè prætermissurum fuisse secundum illud Assyriorum Imperium, ejusque Reges, cùm *Sennacheribum*, in eo quod extat opere suo, velut Assyriorum Arabumque regem memorasse legatur. *Herod. l.* 2. *c.* 28. 47. *Lib.* 2. *c.* 91.

Strabo, qui Augusti Cæsaris temporibus vivebat, refert ea quæ *Megasthenes* scriptor antiquus vicinusque temporum Alexandri Maced. de famosis Nabuchodonosori Chaldæorum Regis victoriis conscripserat. Hunc ille exhibet Asia egressum usque ad Europæ fines penetrantem, terroremque armorum suorum in Hispaniam atque ad Columnas Herculis proferentem. *Ælianus* Thilgamum Assyriorum Regem nominavit, qui idem prorsus esse videtur cum eo quem sacra historia Tilgath, seu Teglath nuncupavit. Extat quoque apud *Ptolomæum* Regem Orientis canon sive catalogus, in quo varii recensentur Assyriorum Reges Græcis incogniti, quos non admodum difficile est cum Ss. literarum monumentis redigere in concordiam. *Strab. lib. XV.* *Ælian. lib. XII. Hist. anim. c.* 21.

Lon-

Longum esset recensere quid de hac re in *Annalibus Syrorum*, quid apud *Berosum*, *Abydenum*, aut *Nicolaum Damascenum* olim legeretur. Horum aliorumque complurium pretiosa nobis fragmenta, ex libris qui suo tempore integri habebantur, *Josephus*, *Eusebiusque* servarunt, quorum testimonio non parùm firmantur ea, quæ de antiquitatibus orientalibus, rebusque præsertim Assyriis sacræ Scripturæ commemorant.

Quod ad *Medorum* Monarchiam attinet, quam plerique exterorum in numero Imperiorum Orientis secundam statuunt, eamque à Persarum Imperio planè sejunctam, certum est perpetuò in Scripturis duo ista regna conjungi, quin & citra harum authoritatem, ipse rerum gestarum ordo satis persuadet ita esse sentiendum.

Medorum ante *Cyrum*, etsi non exigua esset potentia, majori tamen Babyloniorum Regum splendore, tota penè obscurabatur. Postquam autem Cyrus conjunctis Medorum & Persarum viribus Babylonios subjugavit, & legitima deinceps successione, uti ex Xenophonte docuimus, totius Orientis principatum obtinuit, Imperium, quod fundaverat, ab utraque natione nominari oportuit: ita ut res eadem sit *Medorum Persarumque* Imperium, tametsi *Cyri* bellicosa virtus splendorque nominis id effecerint, ut nomen *Persicum* prævaleret.

Non est etiam absimile vero, ante bellum Babylonicum, Reges Medorum græcis clariùs innotuisse, quòd versus græcorum colonias dominatum suum in minorem Asiam longiùs extendissent, quo facilè fieri potuit, ut eos ferè solos ex Orientis Regibus cognoscentes, majoris Asiæ Imperium eisdem attri-

attribuerunt. Ita Reges Ninivitici, Regesque Babylonii, tametsi potentiores, sed græcis multo magis incogniti, in græcorum quæ extant historiis, quasi oblivioni traditi sunt, totumque quod à Sardanapalo ad Cyrum usque tempus effluxit, Medis adscriptum fuit.

Non erit igitur deinceps tantoperè laborandum, ad conciliandam hac in re historiam Sacram cum Profana. Etenim quod ad primum Assyriorum Regnum attinet, hujus non nisi valdè obiter sacræ literæ meminerunt, neque Ninum fundatorem ejus memorant, neque ullum ex successoribus ejus, si solùm *Phul* excipias, propterea quòd hujus gentis historia nihil ferè commune habeat cum rebus gestis populi Dei. *Secundos* porrò Assyrios Græci aut penitus ignorarunt, aut quia obscurè admodùm cognoverunt, à *primis* minimè distinxerunt.

Cùm ergo objectabuntur nobis auctores illi Græci, qui tres priores Monarchias pro suo libitu disponentes, Medorum Imperium *veteri* Assyriorum ita substituunt, ut *novi* nullam faciant mentionem, quod tamen sacræ literæ perhibent tam ingentis fuisse potentiæ, respondisse suffecerit hanc illos historiæ partem ignorasse, nec eos minùs accuratissimis suis gentis historicis, quàm Scripturis divinis hac in re esse contrarios.

Et, quod omnem difficultatem semel amputat, authores sacri, temporibus, locisque viciniores regnis Orientalibus, scribentes insuper res gestas populi Hebræi, cui cum iisdem Imperiis multo major fuit rerum negotiorumque communicatio, etsi alia nulla re præstarent, meritò tamen silentium imponerent Græcis omnibus, &, qui hos secuti sunt, Latinis.

Si

Si quis interim vulgarem veterum Imperiorum ordinem præfractiùs tueri voluerit, ideoque ut Medis suus stet ordo, eis tantisper subjiciendos putet Babylonios, post centum tamen, aut circiter, annos, defectione à Medis, in libertatem asserendos, sua utcumque servari poterit sacris literis authoritas, sed cum Profanis Historiis difficilior erit conciliatio, quibus utique magis favent Scripturæ, dum ubique Medorum Persarumque regna conjungunt.

Addit post hæc *Bossuetius* alium obscuritatis fontem in antiquitatibus Babyloniis & Medo-Persicis, ejusdem nempe nominis diversissimam apud varias nationes pronuntiationem, præterquam quòd eidem etiam Regi complura sæpè nomina & cognomina, diversissimæ significationis & soni, fuerint attributa, quæ proinde aliter atque aliter à diversis scriptoribus efferuntur. Exempla quæ adfert, apud ipsum videri possunt, quorum nonnulla ejusmodi sunt ut in iis, aliorum judicio, non attigerit veritatem.

Qui de his rebus plura desiderat, is præter authores alios innumeros, adire poterit* Chronicon sacrum Jacobi *Tirini*, quod erudito ejus commentario in scripturam præmittitur, quodque doctis passim omnibus in pretio est. Tabulas etiam Chronologicas Sacras Vet. & Novi Test. auctore *Tournemi-nio* S. J. scriptore hoc tempore notissimo, quas in secundo tomo novæ editionis Menochiani commentarii reperiet. Deinque consulere poterit Antiquitates Babylonicas & Medo-Persicas, in *Prodromo Danielico* Joannis Gerhardi Kerckherderii, Historiographi Cæsarei, ubi eruditas conjecturas lector inveniet.

* *Cap.* 33. 34. 35.

Ut

Ut ad rem nostram redeamus, in qua juxta veteres Monarchias tempora dividenda suscepimus, fatemur de prima nihil certi statui posse. *Pezronius*, uti patet ex iis quæ ex ipso suprà disseruimus, annos ei attribuit 2548. nempe à Nemrode, usque ad victum Baltassarum sub Dario Medo; atque adeo usque ad initium monarchiæ Cyri annos 2550. à *Belo* autem rege Ninives, & fundatore Monarchiæ Assyriorum, usque ad idem Cyri initium, annos, ejus supputatio continet, 1808. Minor longè est numerus, quem cum *Usserio* recentiores plerique qui Hebræa sectantur, hodiè exhibent à Nemrode usque ad *Cyri* Monarchiam annos numerant 1698. à *Belo* autem Assyrio usque ad eandem Cyri Monarchiam, annumque ante Chr. 538. annos dumtaxat 786.

§. VIII.

IMPERIUM PERSARUM

PErsarum Imperium Græcis & Latinis longè notius fuit quàm Assyriorum. In hujus comparatione brevi tempore substitit. Ex communiori hodie sententia duravit annis 207. à Cyri Monarchia, annoque ante Chr. 538. usque ad debellátum ab Alexandro Magno *Darium Codomanum*, decimum tertium ultimumque Regem Persarum, id quod anno 331. ante Chr. factum est.

Tota horum Regum successio, unà cum præcipuis eventibus, sic breviter digeri potest.

I. Cy-

Ann ante Æram vulg.

I. CYRUS anno vigesimo regni sui Persici, totius penè Orientis regno potitus, Judæos in libertatem restituit, jubetque reverti in Patriam duce *Zorobabele*. Novem annis, novi hujus vastissimique Imperii habenas prudentissimè moderatus est. Ast nimio dilatandæ dominationis studio flagrans, à *Tomyri* Scytharum Regina victus & obtruncatus fuisse traditur, etsi ex *Luciano* alii eum aliter censeant finiisse. 538.

2. CAMBYSES F. post Patris mortem regnat in Asia VII. annis. Hic anno quinto regni sui, *Ægypti* accessione, Persarum auxit Imperium. 529.

ÆGYPTII, gens antiquissima, suis hactenus regibus, suoque jure usi fuerant; tametsi aliqui existiment, à Nabuchodonosoro Magno aliquanto antè fuisse subjugatos, deinceps jugum Chaldaicum excussisse, ad quod à Cambyse fuerint revocati. Mansit Ægyptus Persis subdita annis 112. usque ad annum undecimum *Darii Nothi*, quo per *Amyrtæum* Saitam ab eorum dominatione subducta est, sed post annos 63. sub *Artaxerxe Ocho* in eorumdem iterum redacta est potestatem, victo Nactanebo II. anno ante Chr. 350. finisque impositus est Imperio Ægyptiorum, quod per XXIX. Dynastias, partim collaterales, partim successivas, à *Mene* usque ad id tempus durasse ait *Pezronius* annis 2619. Alii ei tribuunt annos universim 1865. Alii denique plerasque illas dynastias fabulosas putant.

Huic

Huic *Cambysi* edictum tribuit* *Josephus*, quo Judæi prohibiti fuerint instaurare Templum Hierosolymitanum, regem ad hoc instigantibus & sollicitantibus Samaritanis, aliisque vicinis nationibus.

* *Antiq.* 11. c. 3.

3. MAGI, & præcipuè *Pseudo-smerdis* 522. sive, ut alii vocant, *Pseudo-Danaoxares*, post mortem Cambysis regnant 7. mensibus.

4. Magorum fraude detecta, DARIUS, 521. HYSTASPIS filius, unus è septem conjuratis, à quibus magus occisus est, equi hinnitu rex electus, primùm adversùs Babylonios, qui Magorum interregni occasione rebellaverant, dein in Scythas, mox contra Jonios proficiscitur, quibus dum Athenienses auxilia mittunt, *Bellum inter Persas & Græcos* exoritur, in quo Miltiades Atheniensium ductor in agro *Marathonio*, haud procul Athenis, incredibilem Persis cladem intulit.

Darium hunc, ESTHERÆ *Assuerum* esse, communior hodie fert sententia. Sed de hac re, tam apud veteres, quàm recentiores, ingens est opinionum differentia. Darius certè in Judæos benignus fuit, eoque regnante Templum restauratum, urgentibus operas *Aggæo* & *Zacharia* Prophetis. Regnavit annos XXXI.

5. XERXES patre præ tristitia mortuo, regnare incipit anno 490. regnatque annos XX. Expeditionem in Græcos exercitu numerosissimo, etiam mari * ponte constrato & *Atho* monte perfosso, instaurat, non feliciore tamen, quàm pater, successu. Pulsis Lacedæmoniis, qui sub *Leonida* servabant *Thermopylas*, *Athenas* ingreditur jam derelictas, juber-

* *Hellesponto.*

que

que igne absumi: Sed virtute Themistoclis Atheniensis, navali prælio ad SALAMINA superatus, & ad *fugam* compulsus fuit anno 480.

Paulo post *Mardonius* dux ejus, cum reliquiis exercitus in Græcia relictus, *Pausaniæ* Lacedæmoniorum Regis auspiciis, apud *Platæeas* Bæotiæ, ad internecionem deletur. Eodem die apud *Mycalen* Joniæ promontorium, ducibus *Leotychide* Lacedæmonio, & *Xantippo* Atheniensi, classis Persica profligatur.

6. ARTAXERXES LONGIMANUS Xerxis filius, interfecto patri sufficitur anno 471. regnatque annis (uti Pezronio aliisque videtur) XLVI. Anni regni ejus septimo ESDRAS diploma obtinet * ad Remp. Judaicam reformandam & cum magna Judæorum multitudine Hierosolymam proficiscitur. Anno autem ejusdem *vigesimo* restituendæ Hierosolymæ potestatem accipit * *Nehemias* Regis Pincerna, anno ante Chr. 454. indeque incipiunt LXX. HEBDOMADÆ DANIELIS. Nehemiæ æqualis fuisse videtur MALACHIAS ultimus Prophetarum.

* 1. Esdr. 7.

* 2. Esdr. 2.

Eodem regnante exarsit in Græcia BELLUM PELOPONNESIACUM, inter Lacedæmonios & Athenienses, quod annis XXVII. varia sorte gestum Atheniensibus tandem planè funestum fuit, quando à *Lysandro* ad * *Ægos potamos* prorsus debellati, & omnibus rebus exuti sunt, muris quoque urbis eversis, & præfectis XXX. viris, qui miseris imperitarent.

* *Locus est in Chersoneso Thracia.*

Aliquot mensium deinceps interveniunt Reges Persarum.

7. XERXES II. Artaxerxis filius, à fra-

fratre (8) SOGDIANO occisus: quem brevi intervallo (9) *Ochus* etiam frater, qui posteà DARIUS dictus est, cognomento NOTHUS, & vita & regno spoliavit. Regnavit annos XIX. ab anno 423. Hic fœdus cum Lacedæmoniis iniit ad opprimendos Athenienses, eo tempore quo bellum Peloponnesiacum acerrimè gerebatur.

10. ARTAXERXES à felicitate memoriæ MNEMON dictus, imperavit annis XLIII. 404.

11. Successit ARTAXERXES OCHUS Mnemonis filius, atrox & sævus, qui Phœnices & *Ægyptios*, ejecto Rege Nectanebo, in ordinem redegit, horumque Imperio, uti suprà dictum est, finem imposuit. Regnavit annos XXIII. 360.

12. ARSES sive *Arsames* Ochi filius, à *Bagoa* Eunucho apud Persas potentissimo, & Ochi patris ejus percussore, suffectus, ab eodem ipse anno tertio regni sui, cum omni prole regia, interfectus fuit, 338. *Ante Æram Christ.*

13. Itaque DARIUS CODOMANUS, ex milite Rex, ejusdem *Bagoæ* factione succedit, regnatque sex annis. Tribus præliis, 1. ad amnem *Granicum*, non procul Cyzico in Asia minori: 2. ad *Issum* in Ciliciæ faucibus; 3. ad *Arbela* urbem Assyriæ, ab ALEXANDRO MAGNO devictus & Asiæ regno spoliatus est. Atque hic fuit *Occasus Imperii Persici*, quod in statua Nabuchodonosori, in pectore & brachiis *Argenteis* figurabatur, in visione autem Danielis, *Urso*, cui terni essent dentium ordines, simile fore prænuntiabatur. 336. 334. 333. 331. *Cap. 71.*

Se-

Secunda hæc bestia citò evanuit: nempe Persarum Reges nimio dilatandi Imperii studio occupati, successuque destituti, in iis præsertim bellis, quæ adversùs *Græcos*, viros tunc fortissimos, susceperunt, regni vires & potentiam exhauserunt, ac sensim pessumdederunt: cùmque postremis eorum temporibus, sub *Philippo* Rege & *Alexandro* filio ejus, vehementer invalesceret *Macedonia*, Persæ, qui gliscenti potentiæ totis viribus opponere se debuerant, nimia sui fiducia aliorumque contemptu id neglexerunt, & perierunt.

§. IX.

RES JUDÆORUM POST CAPTIVITATEM BABYLONICAM.

RES *Judæorum* à Captivitate Babylonica ita tribus posterioribus Monarchiis immixtæ ac intertextæ sunt, ut in harum serie de illis sæpenumero mentio facienda recurrat, eo magis quòd ad elucidandam historiam tum Sacram tum Ecclesiasticam, & utriusque gustum aliquem propinandum, hæc à nobis succincta temporum tractatio præcipuè suscepta sit. Operæ pretium igitur visum est, ut ex *Josepho* aliisque authoribus classicis, una hìc, succinctaque serie, & quasi conglobatim insereremus, quæ *Judæorum* sors fuerit sub tribus hisce Monarchiis: id quod suis deinceps locis, ordine temporis paulo enucleatiùs deponetur.

Anni ante Æram vulgar. Christ.

538. Judæi itaque è Babylonia reducti, inter multas vicinarum gentium infestationes, Hierosoly-

rosolyma Templumque instaurarunt. Nullos aliquamdiu Reges habuere, sed PERSIS *Tributarii*, suis tamen legibus utebantur, *Suprema* aliqua in suos prædití potestate.

Cùm ALEXANDER Macedo Asiam Persis eriperet, *Jaddus* Pontifex cum Sacerdotibus & Urbana multitudine obviam ei processerunt, benigneque ab eo habiti, & in fidem accepti sunt. 332.

Post hujus mortem, Regibus *Ægypti* primùm, dein *Syriæ* tributa pendentes, multas insuper ab utrisque, de Cœlesyriæ possessione inter se contendentibus, vexationes & oppressiones passi sunt. At à nullo duriùs habiti, quàm ab *Antiocho Epiphane*, qui ut Judæos ab avita religione ad gentilium sacra traduceret, Jovis Olympii simulacrum templo invexit, acerbissimeque in miseros sævii, sed tandem * inutiliter pœnitens, horrendo interitu sævitiæ suæ pœnas dedit. 324. 168.

* 1. Mach. 6. & lib. 2. c. 9.

Excusso intereà Macedonico jugo, ASMONÆIS ducibus, in libertatem sese vindicare cœperunt, qua in re paulo post, * *Romanorum Lacedæmoniorumque* societate firmati sunt. Mortuo *Matathia*, qui primus in desertum secesserat, filii ejus JUDAS, JONATHAS & SIMON consequenti ordine populi ducatum gerentes, non semel cum exigua manu formidabiles hostium copias, Deo protegente, fugarunt. *Jonathas & Simon*, unà cum principatu gessere etiam *Pontificatum*, quo & *Judam* triennio ante mortem functum fuisse scribit *Josephus*. 135.

* 1. Mach. capp. 8. 12. 14.

Ad *Simonis* posteros uterque transiit. JOANNES HYRCANUS ejus filius, *Templi Samaritici*, quod in monte Garizim constructum fuerat, eversor, patrias Dei leges, avitamque religionem propugnare perrexit. Hujus

107. filius ARISTOBULUS *Regium* nomen & diadema primus assumpsit, sed exiguo tempore tenuit.

106. Successit frater ejus ALEXANDER JANNÆUS, annisque XXVII. præfuit. Eo defuncto ALE-
79. XANDRA uxor ejus, quæ & *Salina* dicta fuisse reperitur, IX. annis regnum tenuit, Sacerdotio in filium HYRCANUM collato, cui cùm, matre defuncta, ARISTOBULUS minor natu frater, & Regnum & Sacerdotium eripuisset,
63. *Pompejus*, qui Mithridate victo, victricia per Orientem arma circumferebat, caussa cognita, controversiam diremit, & *Aristobulo* catenis vincto Romamque misso, Hyrcanum ea lege regnare permisit, ut in fide & clientela Pop. Romani maneret.

47. *Antipater* Idumæus, homo pecuniosus & novarum rerum cupidus, in illa fratrum dissensione *Hyrcano* adhæsit. Dein *Judææ Procurator à Julio Cæsare* constitutus, HERODEM filium Galilææ præfecit annos natum
40. 25. Exinde Parthis ab ANTIGONO Aristobuli filio mille talentorum pactione in Judæam excitis, *Hyrcanus* in eorum manus incidit, auribusque mutilatus, & abductus est: *Herodes* ad *Antonium*, à quo paulo ante tetrarchiam unà cum Phasaelo fratre obtinuerat, Romam profugit, ubi præter spem *Rex Judæorum* à Senatu appellatus est. *Antigonus*, qui tribus interim annis totidemque mensibus
37. in Judæa regnaverat, expugnatis tandem ab Herode, Romanorum ope, Hierosolymis, captus, & Antiochiæ, jussu Antonii securi percussus fuit. Ita ad Herodem religione quidem Judæum, sed natione *Idumæum*, atque ad *Alienigenam*, sceptrum à Juda translatum est, quo etiam factum est, ut eo regnante *Messias* nasceretur.

Cùm

Cùm ad Imperium pervenisset *Augustus*, regnum *Herodi* & confirmavit & auxit. Quàm autem hic superbè & crudeliter eo usus fuerit, inde conjice, quòd non modo *Hyrcanum* Mariamnes conjugis suæ avum, ejusdemque fratrem Aristobulum, quem antè Pontificem fecerat, sed & ipsam dein *Mariamnem*, duosque quos ex ea susceperat filios Alexandrum & Aristobulum, præclaræ indolis adolescentes, occiderit, atque ita totum *Asmonæorum* genus sustulerit; quod ubi expenderis, idoneum utique judicabis, qui, *Christum* ad necem quærens, innumerabilium *Infantium sanguine*, ambitioni suæ crudelitatique litaret. Quamquam præter mentem, quibus nocere visus est, plurimùm profuit, cùm *Innocentes* hasce victimas, ceu *Martyrum primitias*, cœlo transcripsit. Ceterum non diu dilata vindicta est, si quidem intra ejusdem anni spatium horrendo fœdissimoque morbo extinctus est.

Anni Æra Christ.

1.

Hujus filiis, qui crudelitati ejus superstites fuere, paternum regnum dispertitus est Augustus Cæsar, ita quidem ut PHILIPPUM Batanææ, Trachonitidi, & Auranitidi; Herodem ANTIPAM Galileæ & Pereæ Tettarcham daret: majorem autem natu ARCHELAUM præficeret Judææ & Samariæ Ethnarcham, quem post IX. annos crudelitatis accusatum, Viennam in Gallias deportandum curavit, *Judæa in Provinciam redacta*, 10. quæ ex illo tempore multis deinceps annis per *Procuratores*, nomine Romanorum, administrata fuit, cujusmodi *Pontius Pilatus* fuit, sub quo JESUS CHRISTUS mundi redemptor passus 33. est. Is mortuo Tiberio Romam reversus, Viennam Galliæ exulatum missus est, ubi paulo post, sub annum Christi 41. iniquitatis & ignaviæ suæ vindex; sibi ipsi manus intulit.

Intereà *Herodes Antipas* Tetrarchiam, quam acceperat, regens, ob *Herodiadem* uxorem Philippi fratris sui, quam abduxerat, à JOANNE BAPTISTA Messiæ præcursore correptus, eumdem in arce Macherunte captivum decollari jussit. Christum quoque servatorem tempore passionis ejus, ut fatuum aspernatus est, remisitque ad Pilatum.
39. Tandem à *Cajo* Cæsare in exilium missus primùm Lugdunum Galliæ; mox etiam, ut à patria longiùs abesset, in Hispaniam relegatus est.

Tertius est *Herodes*, proprio nomine AGRIPPA dictus, Herodis senioris ex Aristo-
* Cap. 12. bulo nepos, de quo in * Actis Apostolorum
40. mentio fit. Hic à *Cajo* Cæsare Rex Tetrarchiæ Philippi & Lysaniæ appellatus, dein à *Claudio* Imp. ceteris avi sui Herodis possessio-
41. nibus auctus fuit, desiitque tantisper Judæa, Romanorum esse provincia. *Jacobum* fratrem Joannis occidit gladio. Videns autem quia
44. placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet & *Petrum*; volens post Pascha producere eum populo. Sed misit Dominus Angelum suum, & eripuit eum de manu Herodis, & de omni
Eod. anno expectatione plebis Judæorum. Tandem *Agrippa* immensæ superbiæ ac divinitatis affectatæ justissimas pœnas dedit, quando percussit eum Angelus Domini, & *consumptus à vermibus, expiravit.*

Agrippa minor, prioris filius, in paterno
49. regno non successit, sed regulus factus est *Chalcidenæ* in Syria, quæ postmodum à Clau-
53. dio Cæsare cum Philippi Tetrarchia & *Abiline* permutata fuit.

Judæa igitur, Agrippa seniore, divina, uti dictum est, vindicta sublato, Romanorum rursus *Provincia* facta est, ab iisque *Procura-*

curatores accepit, è quorum numero fuere *Felix* & *Porcius Festus*, apud quos *Paulus* captivus, pro se & Christiana Fide caussam dixisse * legitur, præsentibus etiam, cùm coram *Festo* loqueretur, *Agrippa* juniore ejusque conjuge *Berenice*. Tandem procurante Judæam *Gessio Floro* exortum est BELLUM JUDAICUM, quo *Vespasianus* Galilæam & Judæam perdomuit: *Titus* Hierosolymam cepit, incendit, delevit; uterque de Judæis triumphavit.

Anni Æra Christi, 60.

* *Act. capp.* 24. 25. & 26.

66.

70.

Quis fuerit infaustæ nationis exitus, postquam, negato damnatoque Messia, desiit esse populus Dei, ex *Flavio Josepho* Historico Judæo, qui excidio interfuit, & aliunde notum est. Elapsis à Christi morte annis 37. (quod tempus partim saluti electorum, partim pœnitentiæ perfidorum concessum fuerat) ejusdem prædictio impleta est. Urbs ingrata, Deo hominibusque rebellis, & quod omnium caput est, filii Dei Messiæ sibi promissi interfectrix, malis numquam antè auditis oppressa & funditus tandem excisa est. Durante obsidione horrenda fames inclusos mœnibus in eam rabiem impulit, ut humanis vescerentur carnibus, ac natorum etiam corpora matres absumerent. Pestis intrà sæviit, & feralia adversùs invicem odia templum ipsum abominationibus, & humano sanguine repleverunt. Plusquam undecies centena hominum millia, quorum plurimi pro festo Paschæ celebrando in urbem aliunde convenerant, una illa obsidione perierunt. Reliqui, capta urbe atque succensa, ad 97. millia in captivitatem abducti, aut pro mancipiis divenditi, & quaquaversùm dispersi sunt.

Joseph. lib. 7. de excid.

At nondum quievit turbidum hominum genus, In Cyrenaica, Ægypto & Cypro

116. sub TRAJANO primum tumultuati sunt, quos ille cladibus aliquot attrivit, sed superbæ gentis spiritus omnino non repressit. ADRIANI Imp. temporibus vehementius consurrexerunt, instigati maximè à quodam BAR-COCHEBA, id est, *Stellæ filio*, qui Judæorum se liberatorem, promissumque Messiam venditabat. Huic ingenti numero Judæi adhæserunt, qui post multa prælia, tandem per Julium Severum, quem è
135. Britanniis Adrianus acciverat, paulatim op-
Dio 69. pressi & internecione deleti sunt. Narrat *Dio* cæsa eo bello quingenta octoginta Judæorum millia: præter innumerabilem multitudinem, quam fames, morbus, aut incendium absumpsit, adeò ut Palestina penè ad solitudinem redacta sit. Ut autem pleniùs impleretur quod Salvator prædixerat, non remansurum in rebelli & ingrata civitate *Lapidem super Lapidem*, rudera quoque Hierosolymæ, quam instaurare cœperant Judæi, funditus dejicienda, novumque ibi oppidum constituendum curavit *Adrianus*, quod de suo nomine *Æliam* nuncupavit, & ex illo tempore sub pœna mortis vetitum fuit ne Hierosolymam Judæi adirent; nisi quòd uno quot-
Greg. Naz. Oratio 12. annis die lugendi gratia adire concessum fuisse referatur. Ita gens infelix, juxta Prophe-
Aristo Pellaus apud Euseb. Hist. Eccl. IV. 6. tarum oracula, quæ ad sui convictionem circumferre non desinit, in sua tot jam sæculis cæcitate & perfidia obstinata voluntate persistens, toto orbe vagatur, sine *Rege*, sine *Principe*,
Vide Dan. 9. 26. Osea 3. 4. sine *Templo*, sine *Altari*, sine *Sacrificio*, in fine tamen sæculi ad Christum convertenda.

§. X.

§. X.

IMPERIUM ALEXANDRI ET REGNUM GRÆCORUM.

NOn erit, credo, importunum, si breviſſimè aliquid hoc loco præmittatur de *Rebus Græcorum*, quæ Alexandri tempora præceſſerunt. In Græcia celebre præ ceteris nomen adepti ſunt, *Athenienſes*, *Lacedæmonii*, *Thebani* atque *Macedones*.

ATHENIENSES ingenio primùm, & eloquentia, morumque urbanitate famam inclytam conſecuti ſunt. Mox etiam fortitudine bellica, quæ cùm alibi, tum præcipuè adversùs Perſas enituit, uſque adeò ut & de Imperio dilatando cogitantes, inſulas maris Ægæi, & maritimas Joniæ civitates magna ex parte occupaverint. Ita ſenſim inflantur ſucceſſibus, & inſoleſcunt. Odium invidiamque incurrunt vicinorum. Exoritur *Bellum Peloponneſiacum*. Prævalent *Lacedæmonii*. Athenas capiunt, diripiunt, & XXX. eis tyrannos imponunt. Recuperarunt quidem ope *Thraſybuli*, Athenienſes libertatem: at numquam priſtinum decus, gloriam aut vires. Quin &. hæ poſtmodùm vehementer acciſæ ſunt, quando adversùs Philippum Macedoniæ Regem, creſcentemque in dies potentiam ejus, inſtigante & perorante *Demoſthene*, ſeſe erigere voluerunt. Satius fuiſſet Athenienſibus, ſi ſuis contenti anguſtiis, exiguum quem habebant numerum incolarum, intra urbem ſuam retinere, quàm ad exteros, Imperii fines propagare maluiſſent.

Sparta ſive LACEDÆMON, Athenienſium

æmula, severitate disciplinæ & Lycurgi legibus celeberrima, & ipsa, cùm altiùs, quàm par erat, elevare se voluit, cecidit, à *Conone* Atheniensium, atque ab *Epaminonda* Thebanorum Duce profligati, ægrè deinceps Lacedæmonii civitatem suam tueri potuerunt.

THEBANI, postquam Duce Epaminonda domuissent Lacedæmoniorum superbiam, ipsi quoque ab *Alexandro* Macedone, non modò domiti, sed funditus eversi sunt.

MACEDONES, qui ab initio viles, cæterisque ferè Græcis erant contemptui, sub *Philippo* Rege, instructisque ab eo *Phalangibus*, cristas erexerunt. Erat hic gerendi belli peritissimus, homo sagax, eloquens, subdolus & versipellis, idoneusque visus reliquis Græciæ suæ popularibus, qui contra Persas, Græcorum omnium ductor eligeretur. Verùm cùm expeditionem parat, ex improviso occiditur. Succedit *Alexander* F. vixdum viginti annos natus, quem Deus exercituum, qui *mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit*, evertendo Persarum regno destinaverat. Habebat in exercitu universim XXXV. virorum millia, at milites veteranos, diu exercitatos, inopiam, famem sitimque perpeti pridem assuetos. Invadebat innumerabiles Persarum copias, sed inexpertas, divitiis deliciisque affluentes, & ipsa sua multitudine laborantes. At super hæc omnia invictum ei animum indiderat Deus. Ergo ubique victor, ab Hellesponto usque ad Indos, sex annorum spatio propagat Imperium: quod cùm sex deinceps annis tenuisset, insatiabili semper ambitione flagrans, immatura morte extinguitur, ducibusque suis in contraria studia euntibus re-

regnum discerpendum relinquit, ut paulo post, alteri locum cederet potentiori. *Parthorum* interea ultra Euphratem exurgit Imperium. *Armenia* deficit, suosque sibi Reges designat. *Macedonia*, seu ROMANIS vicinior, ab iisdem prima subigitur. Dein *Syria* vehementer imminuta, regnante *Antiocho Magno*; postremò & ipsa, profligato *Tigrane* Armeniæ Rege, in provinciam redacta est. *Ægyptus* secuta est, ceteræque tandem Imperii illius provinciæ eamdem ferè sortem subierunt. Hæc jam paulo distinctiùs, servato ordine temporis, exhibenda sunt.

ALEXANDER itaque Rex Macedonum, à * *Carano*. XXI. annos natus 20. Philippo patri successit, eodem anno, quo Darius Codomannus Persarum suscepit Imperium. Haud scio an terribilius unquam in orbe terrarum *Dei Flagellum* extiterit. Prædonem certè truculentiorem Asia nullum vidit. Sed *Dei Minister* erat in iram, instar turbinis omnia prostraturus. Hinc, ob victoriarum cursum velocissimum, in Danielis prophetia, quæ expeditionem ejus * plusquam ducentis annis anteceßit, comparatus est *Pardo quaternis alis* instructo, cui potestas divinitus data est; item *Hirco*, qui veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & *non tangebat terram*. Venit autem usque ad *Arietem cornutum* (regnum Persarum) cui cornibus suis ventilanti contra Occidentem, Aquilonem, & Meridiem, nullæ ante hac bestiæ resistere potuerant, & *cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ*. Cùmque appropinquasset propè arietem, *efferatus* est in eum, & percussit arietem (tribus præliis

Ante Æ. vulg. 20.

* *Macedonia Regnū in Carano inceperat annis* 559. *ante initia Alexādri, ante Christ.* 894.

* *Prior Dan.* 7. *pertinet ad annum ante Christ.* 535. *posterior, Dan.* 8. *ad ann.* 553.

his suprà memoratis) & comminuit *duo* *ante Æram*
cornua ejus (Persarum nempe Medorum- *vul.*
que potentiam) & non poterat *Aries* resistere ei, tametsi educeret copias viges ut minimùm numerosiores, cùm tertio prælio, ad vicum Gaugamela, non nisi quinquaginta Græcorum millia, Persarum verò undecies centena, fuisse memorentur. Arietem nihilominus *in terram* Hircus misit & *conculcavit*, & nemo quibat liberare eum de manu ejus. Hircus autem *Magnus* factus est nimis, & usque in hodiernum diem apud omnes penè gentes MAGNI nomine nuncupatur. Sex nempe annorum spatio non modò totam Orientis Monarchiam adeptus est, sed longè etiam ultra Persarum limites propagavit, ad *Indum* usque & Oceanum profectus. Ceterùm tot victoriis elatus, modum tenere non potuit. Præter temulentiæ vitium, quod vitæ ejus perpetuam afflavit infamiam, Barbarorum, quos vicerat, mores induebat, *Divinis quoque honoribus* expetitis. Babylonem itaque regressus, cùm Imperium tenuisset annos sex & menses decem, præmatura morte, intemperantiæ, crudelitatis, & affectatæ præsertim divinitatis justissimas pœnas dedit anno 324.

Post mortem Alexandri, orta de formando rerum statu discordia, provinciæ inter principes sunt distributæ, qui cùm mutuis sese bellis exagitarent, *quatuor præcipuè regna* exorta sunt, id quod &
*Cap. 8. 8. *Daniel* disertè prædixerat: * *Cumque crevisset*, inquit, *fractum est cornu magnum*, *& orta sunt* QUATUOR CORNUA *subter illud, per quatuor Ventos Cœli*. Regnorum illorum

lorum Principes fuere *Ptolomæus* in ÆGYPTO: *Seleucus* in Babylonia & SYRIA: *Cassander*, (post Aridæum Alexandri fratrem) in MACEDONIA: *Antigonus* in ASIA. Minora alia, ut Pergami, Bithyniæ, Paphlagoniæ, Ciliciæ, Cappadociæ, prætermittimus. Non nisi *Ægyptium* & *Syriacum* ad historiam sacram aliquid faciunt. Regnum *Ptolomæorum* in Ægypto, à *Ptolomæo Sotere* annoque ante Christ. 323. usque ad *Cleopatræ* mortem, annumque ante Chr. 31. duravit annis 292. *Seleucidarum* in Syria, qui numero plures fuerunt, annis dumtaxat 249. ab anno, scilicet, ante Chr. 312. usque ad 63. adeò ut Syria annis circ. 32. citiùs quàm Ægyptus, Romanorum concesserit potestati.

REGUM ÆGYPTI

Hæc est Series,

1. PTOLOMÆUS Soter LAGI F. à quo commune *Ptolomæorum & Lagidarum* nomen derivatum est, primus post Alexandri mortem Ægypti Rex, Cyrenis, Phœnicia, & Palæstina quoque subactis, ingentem *Iudæorum* numerum in Ægyptum deportavit. Regnavit annis XL. m. 284.

2. Ptolomæus PHILADELPHUS F. duobus, aut tribus annis ante mortem patris, consors Imperii factus, post patris obitum regnavit annos XXXVI. m. 247.
Hic Judæos benignius habuit, eoque regnante, studio & opera Demetrii Phalerei, numerosissima Alexandriæ bibliotheca collecta fuit, ad quam exor-

 nandam,

nandam, divinas scripturas ab Judæis asservatas, Græcè converti jussit, missis ab *Eleazaro* summo Sacerdote LXXII. interpretibus, an. ante Chr. 284. vel 277. ut alii cum *Usserio* sentiunt. Atque hæc vulgaris opinio est, quam vetusti quidam patres, *Justinus*, *Irenæus*, & alii hauserunt ex libro inscripto nomine *Aristæa*. Sed de ea re celebris disceptatio est.

3. Ptolomæus EUERGETES F. à filio, per antiphrasim Philopatore dicto, occisus 221.

4. Ptolomæus PHILOPATOR F. parricida, victorque Antiochi Mag. Regis Syriæ m. 204.

5. Ptolomæus EPIPHANES F. pupillus & quinquennis, à Romanis defensus. m. 180.

6. Ptolomæus PHILOMETOR F. sexennis, sub tutela matris *Cleopatræ*, Romana legatione ab Antiochi Epiphanis injuria, & insidiis liberatus est. Regnavit annos 35. m. 146.

Onias hoc tempore, Judæorum Sacerdotio exclusus Templum Hierosolymitano simile, permissu Regis, ædificat in tractu Heliopolitano, loco, qui inde *Onion* dictus est: hoc annis 221. Judæis Ægyptiis sacrosanctum fuit, donec à Vespasiano dirui jussum est.

7. Ptolomæus EUERGETES II. Fr. etiam * PHYSCON cognominatus, homo impurissimus, immanis crudelitatis, & multiplex parricida. m. 117.

* *Aliqui cum* Eusebio Syncello & Scaligero *Euergetã II. à Physcone distinguunt.* Strabo, Josephus, Clemens Alex. & Athenæus *eundem esse confirmant.*

Judæi *Hierosolymitani* regnante *Physcone* scribunt ad Judæos Ægyptios de celebrando festo Tabernaculorum mensis Casleu. 2. Machab. 1. 114.

8. Ptolomæus LATHURUS F. qui iro- 117. niçè

nicè *Philometoris* cognomen habuit, quòd nullus regum, teste *Pausania*, * majori matris odio exagitatus fuerit. Cùm regnasset cum matre invida annos XVII. pellitur ab eadem, & substituitur frater. 100.

** Attic. p. 7.*

9. Ptolom. ALEXANDER, matricida. Hic cum matre Cleopatra, aut potiùs nomine illius mater imperat annos X. quam cùm interfecisset, ipse pellitur, revocaturque. 89.

Ptolom. LATHURUS ex Cypro, & VIII. annis solus imperat. * 81.

** Hic aliqui interserunt* Alexandrum. II. *Lathuri filium.*

10. Ptolom. AULETES, Lathuri nothus, ejectus ob largitiones in Romanos factas, restituitur per *Gabinium* Syriæ Præsidem, favente Pompejo. m. 51.

11. *Ptolomæus* DIONYSUS puer, Auletæ filius, *Cleopatræ* frater, sub tutore & rectore Eunucho, cui nomen Photinus. POMPEJUM de patre benemeritum, cùm in Ægyptum fugisset, trucidari jussit: ipse autem à C. JULIO CÆSARE victus postmodùm, vitam in Nilo, merso navigio, finit. 47.

12. Ab hujus sorore CLEOPATRA, M. Antonii amoribus famosa, Ægyptium regnum, ut præmium *Belli Actiaci*, ad AUGUSTUM Cæsarem translatum, *Romanæ Provinciæ* formam induit: ille autem ab eo tempore MONARCHIÆ ROMANÆ initium fecit, anno 31.

REGUM SYRIÆ

Eodem fere temporis intervallo, successio sic habet. *Anni ante aram Chr.*

1. SELEUCUS I. *Nicator* dictus, auctor

regni *Syro-Macedonum*, annis post Alexandri mortem XII. Regnavit deinceps annos XXXII. m. 280.

2. *Antiochus I.* SOTER F. annis XVIII. m. 262.

Primis hisce duobus imperantibus, totus penè Oriens Syriæ subdebatur.

3. *Antiochus II. F.* * THEOS dictus à Milesiis, quos Tyranno liberaverat. m. 246.

4. *Seleucus II.* CALLINICUS F. annis XX. m. 226.

PARTHI, qui sub hujus patre Antiocho Theo rebellare cœperant, jam prælio certare ausi cum Seleuco Callinico, fraternis discordiis vexato, novum duce ARSACE regnum constituerunt anno ante Chr. 250. quod sensim plerasque Orientis invasit provincias. Id in Arsacis familia substitit annos circiter 480, usque ad *Artabanum* à PERSIS superatum anno Æræ vulg. 230. Persæ deinceps Reges habuerunt 28, quorum primus *Artaxerxes*, ultimus *Ormisdas Iesdigerdes* à SARRACENIS victus est an. Christi 632.

5. *Seleucus III.* CERAUNUS F. ann. 3. Hunc in bello *Attalico* extinctum, frater excipit 223

6. *Antiochus III.* cognom. MAGNUS, Romanis bellis notissimus. Sæpiùs ab Romanis victus, omni tandem cis Taurum Asia, ab iisdem mulctatus fuit. Regnavit annos XXXVII. m. 187.

Qui sequuntur, solis cladibus, aut malefactis, aut fictis nominibus ferè noti sunt.

7. *Seleucus IV.* PHILOPATOR F. an. XI. m. 176.

8. *Antiochus IV.* EPIPHANES Fr. hostis &

* *In nummis Seleucidarũ plures hos cognomentũ habent.*

& persecutor Judæorum acerbissimus, ann. XII. m.

9. *Antiochus V.* EUPATOR, F. Epiphanis, sub tutore Lysia ann. 2. m. 164. 162.

80. DEMETRIUS SOTER Philopatoris filius, qui Roma elapsus, ubi obses erat, Antiochum & tutorem occidit. 1. Macc. 7. ann. XII. usque ad 141.

Quatuor hi posteriores iniqui omnes fuere Judæis.

11. ALEXANDER BALA, genus mentitus ann. X.

12. *Demetrius* NICATOR, Soteris filius, annos III.

Latuit deinceps captivus apud Parthos.

13. *Antiochus VI.* Alexandri filius, sub tutela Diodoti Tryphonis.

14. TRYPON, oppresso pupillo.

15. *Antiochus VII.* SIDETES dictus Eusebio, frater captivi *Demetrii*. Victo Tryphone regnat ann. IX. à Phraate victus vitam sibi ipsi eripit. 129.

Demetrius ex captivo iterum Rex, an. IV. m. 125.

16. *Alexander II.* ZEBINA, Ægyptii mercatoris filius. m. 124.

17. *Seleucus V.* filius Demetrii Nicatoris, Alexandri temporibus partem Syriæ tenuit; à matre autem Cleopatra Ægyptia, Ptolomæi Physconis sorore, interemptus est.

18. *Antiochus VIII.* GRYPUS dictus, Demetrii Nicatoris & Cleopatræ minor filius, à matre contra Alexandrum Rex constitutus, ut nomen penes filium, Imperium penes matrem esset. Matre interfecta, *Epiphanem* se cognominavit. Regnavit ann. XXIX. m. 97.

19. An-

19. *Antiochus IX. Philopator*, vulgò CYZICENUS, quòd in ea urbe educatus esset, filius *Sidetis*, frater uterinus *Grypi*, quocum acerrimè de regno dimicavit. ann. XVIII.

20. *Seleucus VI.* F. *Grypi* & Triphænæ.

21. *Antiochus X.* filius *Cyziceni* cognomento *Pius*. m. 92.

22. ANTIOCHUS XI. Grypi ex Tryphæna filius, gemellus frater Philippi. Victus à patruele *Antiocho Pio*, periit. 93.

23. PHILIPPUS, frater Antiochi XI. regnavit primùm in parte Syriæ, unà cum fratre *Demetrio*, Antiocho Pio alteram partem occupante, ac tota tandem Syria potitus est.

24. *Demetrius III.* vulgò *Eucærus*, præcedentium frater. Apud Parthos captivus diem obiit. 87.

25. *Antiochus XII. Dionysus* Grypi & Tryphænæ quintus filius; regulus partis Damascenæ.

26. Syri pertæsi bellorum civilium, quæ à temporibus Antiochorum *Grypi* & *Cyziceni*, inter eos eorumque filios continua fuerant, TIGRANI Armeniæ Regi se dediderunt, quem post 18. annos *Lucullus* Romani exercitus ductor ejecit. 83.

27. *Antiocho Asiatico XIII.* Pii filio, regnum restituturus: sed hoc illi, ut indigno, *Pompejus* ademit, Syriamque fecit PROVINCIAM ROMANAM. 63.

Postquam majoris distinctionis gratia *Regum Ægypti* & *Syriæ* seorsim series est recitata, operæ pretium me facturum putavi, si eosdem etiam conjunctò inter se ordine recenserem, interpositis summis Sacerdotibus Judæorum, qui per ea-

eadem tempora sacris, ac nonnulli etiam Reipublicæ, præfuerunt, ut tota *Regni Græcorum*, usque ad *Monarchiam Romanorum*, successio, uno quasi intuitu videatur. Rem hanc satis breviter succinctèque proposuit *Pezronius* in Canone Chronologico, quem hìc proinde (nonnullis tamen aliunde interjectis) præcipuè secuturi sumus. Condonet nobis lector quam hìc reperiet repetitionem. In gratiam rudiorum faciendam eam esse existimavimus. Annos dumtaxat ante Æram Christ. annotabimus.

SERIES REGNI GRÆCORUM,

Juxta Canonem Chronologicum Pezronii.

Alexandri Mors.

Moritur Babylone mense Julio, anno primo olymp. CXIV. cùm obtinuisset Asiæ Imperium annis VI. & aliquot mensibus, ante Chr. *Anni ante æram Chr.* 324.

71. * ONIAS I. F. Jaddi. VII. Pontifex à *Jesu* filio Josedech, qui sub reditu à Captivitate Babylonica Pontificatum gessit. Præfuit Onias annis XXI. ab anno ante Christ. 321.

* *Vide suprà pag. 16. Eumdem, qui ibi expressus est, hìc ponimus numerum personarum, per quas usque ad Christ. veteris historia filum deducatur.*

REGNUM ÆGYPTI,

Sive, Lagidarum.

Ptolemæus Lagi F. *Soter* dictus, regnare incipit in Ægypto, Lybia, & Cyrenai- 323.

ca.

ca, non ausus tamen illicò assumere diadema. annos regnat circiter XL.

REGNUM SYRIÆ,

Sive, Selucidarum.

Seleucus I. Nicator dictus, annis post Alexandri mortem XII. Regnum *Syro-Macedonum* auspicatus est, tenuitque deinceps annos XXXII. 312.

72. SIMON I. cogn. *Justus*, F. Oniæ, VIII. Pontifex, cujus elogia recensentur Eccli. 50. 1. præfuit annis IX. ab anno 301.

73. ELEAZARUS Fr. Simonis. IX. Pontifex ann. XXXII. sub quo Græca versio scripturarum, quæ LXX. INTERPRETUM dicitur, Alexandriæ in Ægypto facta fuisse dicitur, regnante Ptolomæo Philadelpho.

Ptolomæus Philadelphus F. Lagi & Berenices, post patris obitum regnat in Ægypto annis XXXVI. ab anno ante Christ. 284.

Antiochus I. Soter, post mortem Seleuci patris, regnat in Syria annis XVIII. 280.

Antiochus II. Theos F. annis XV. 262.

74. MANASSES Oniæ I. filius, frater Simonis, patruusque Eleazari, X. Pontifex, annis XXVI.

Urbis Conditæ annus 500. 253.

Seleucus II. F. Thei, regnat in Syria annis XX. 247

Ptolomæus Euergetes F. Philadelphi & Arsinoes, regnat in Ægypto annis XXVII. 247.

75. ONIAS II. Fr. Simonis justi cognomento *Avarus*, XI. Pontifex, annis XIV. 236.

Seleucus III. Ceraunus F. in Syria an. III. 228.

An-

Antiochus III. cognom. *Magnus* post fratrem Ceraunum, regnat ann. XXXVII. 225.

76. SIMON II. F. Oniæ II. XII. Pontifex ann. XX. 222.

Ptolomæus Philopator F. Euergetis & Berenices regnat in Ægypto ann. XVII. 221.

Ptolomæus Epiphanes F. annis XXIV. 204.

77. ONIAS III. F. Simonis, cognomento *Sanctus*, qui orans pro *Heliodoro* ab Angelis flagellato, vitam ei impetravit. XIII. Pontifex, ann. XXVI. 202. 1. *Mac.* 12. 7. & 2. *Mac.* 3.

* Eodem anno incipit EPOCHA IX. nempe *Carthaginis à Scipione* debellatæ.

Seleucus IV. Philopator in Syria an. XI. 188.

Ptolomæus Philometor F. Epiphanis, partim solus, partim cum fratre *Physcone* regnat in Ægypto annis XXXV. 180.

Antiochus IV. EPIPHANES fratri Seleuco succedit in Syria, regnatque annos XII. 177.

78. *Jesus* sive JASON frater *Oniæ*, XIV. à restituta libertate Pontifex. Extruso fratre suo Onia sanctissimo viro, pecunia Pontificatum sibi emit ab Antiocho Epiphane. 176. 2. *Machab.* 4.7. & 5.5.

79. MENELAUS Onias, * Simonis Benjaminitæ frater, cum pecuniis ad Antiochum Epiphanem ex Ægypto reducem, ab *Jasone* missus, eodem scelere ipsum è throno deturbavit, quo ille fratrem suum Oniam expulerat. Sed cùm promissam regi pecuniam Menelaus non persolveret, *Lysimacho* fratri suo jussus est Pontificatum tradere. Mox autem lapidato Lysimacho, Menelaus novis largitionibus Pontificatum recuperat, & per Andronicum Antiochiæ præfectum *Oniam* huc usque superstitem trucidari jubet. 173.

* *Jasonis fratrem* Josephus *asserit, quod* & Petavio *magis placet, cùm sit è* fratris *vocabulū* (2. *Mac.* 4. 23.) *ad affinitatem aliquam referri posse.*

Onias IV. hujus tertii filius, in Ægyptum profugus, & gratiam Ptolomæi Philometoris regis adeptus, in tractu Heliopolitano, ONION templum construxit ante Christ. 150.

Ptolomæus Physcon anno XII. Philometoris fratris sui, unà cum ipso regnat in Ægypto. 169.

Antiochus Epiphanes templum Hierosolymitanum polluit, collocata in altari statua Jovis Olympii, civesque ad ejurandam patriam religionem diris suppliciis compellere aggreditur. 168.

MATHATIAS de stirpe Joarib Sacerdos, & *Asmonæorum* caput, fugit cum suis in montes, ne Ethnicorum sacris contaminaretur, & confluentium ad se Judæorum manum colligit. Septem *Machabæi* fratres, unà cum matre sua, crudeliter excarnificati, fortissimo animo, pro avita Dei lege mortem oppetunt. Utrùm Antiochiæ, an Hierosolymis passi sint, non satis liquet. 67.

JUDAS, dictus vulgò **Machabæus*, post 166. mortem patris Mathatiæ, à Judæis legem suam patriam sincero zelo prosequentibus *Dux* constitutus, Rempublicam religionemque Judaicam adversùs Antiochum Epiphanem aliosque tyrannos vi & armis tutandam instaurandamque suscepit.

* *Communior opinio est nomen hoc derivatum esse à quatuor literis vexillis inscriptis, initialibus hujus textus.* Quis similis tui in fortibus Domine? *Mi Camocha Baelim Jehova? Exod. 15 11. indeformatam vocem* Machabæi,

Anno secundo ab initio principatus, 165. superatis divina ope gentium copiis, statuam Jovis Olympii dejicit, templumque repurgat.

Antiochus V. Eupator, Epiphani patri 164. in Babylonia mortuo, succedit in regno Syriæ, quod obtinet 2. annis. *Judas* Edo-

nitas

nitas & Ammonitas domat, cædit *Timotheum*, Judæisque Galaaditis subvenit.

80. ALCIMUS ab Eupatore rege pontificatum adeptus, cùm præcepisset dejici muros templi, percussus à Deo paralysi moritur. 163. *1. Machab. 9. 54.*

Demetrius Soter F. Seleuci IV. occiso *Eupatore* regnat in Syria annis XI. 162.

88. JONATHAS, Judæ Machabæo fratri, 161. in prælio, quo adversùs Bacchidem cum exigua manu acerrimè dimicabat, multitudine obruto & occiso, à populo surrogatus, Judæorum principatum suscipit, tenetque annos XVII.

Alexander Balas infimæ sortis juvenis, 153. tamquam Antiochi filius, ab Antiochenis desciscentibus contra Demetrium subornatus, Ptolomaida Phœniciæ urbem occupat.

Hic, ut contra *Demetrium* JONATHAM suis partibus adjungeret, summum illi *Pontificatum* detulit, qui deinceps usque ad Herodis tempora perstitit in familia Asmonæorum.

Quamquam & *Judas*, teste * *Josepho*, triennio ante mortem ad pontificatum, consensu populi, evectus fuerat, id quod *Pezronius* non videtur observasse. Ab illo autem *Judæ* initio usque ad regnum *Herodis* durasse ait Josephus Asmonæorum principatum, annis 126.

* *Lib. 2. Antiq. c. 17.*

Urb. Cond. annus 600. 153.

Demetrius II. primi filius, *Nicator* dictus, 146. cæso Balæ exercitu, regnat Antiochiæ.

Ptolomæus Physcon, cum ann. 24. unà cum fratre regnasset, solus imperat in Ægypto.

Antiochus VI. F. *Balæ* per *Thryphonem* 145. tutorem suum Demetrium Nicatorem

supe-

superat, & Antiochiam obtinet, aliam Syriæ partem retinente Demetrio.

82. SIMON, occiso Tryphonis perfidia fratre *Ionatha*, populo deferente, Pontificatum & principatum obtinet annis circiter XI. 144.

Idem ille *Diodotus Tryphon*, cùm creditum sibi pupillum Antiochum sustulisset, ab Antiochenis Regem se proclamandum curavit. 143.

Simon, pulso ex arce Hierosolymitana Græcorum præsidio, nationem suàm ab Ethnicorum tyrannide in totum liberat. Plena deinceps ac perfecta fuit, usque ad *Pompeji* tempora, libertas Judæorum. 142.

Demetrius Nicator bellum Parthis inferens, prælio victus, captusque in Parthiam abducitur. 140.

Antiochus VII. Sidetes, captivi frater, exacto *Tryphone* Tyranno, regnat in Syria. 139.

83. JOANNES HYRCANUS Simonis filius, patri in arce Dor à *Ptolomæo* genero suo summa cum perfidia interempto, in utroque, Pontificatus & Principatus, munere succedit. 135.

XXIX. annis præfuit, ac sub eo primùm Judæorum res florere cœperunt, cùm *Seleucidarum* potentia parricidialibus odiis, mutuisque cædibus consumpta, paulatim interiret. *Hyrcanus* itaque, ea opportunitate usus, longè lateque ditionis suæ fines protulit, atque *Idumæos*, si Josepho fides, bello subactos, Judaicos ritus cum circumcisione coegit accipere.

Sub hoc Pontifice binæ Judæorum sectæ, *Saducæorum* & *Pharisæorum*, exortæ fuisse perhibentur, ac Saducæis quidem

Joan-

Ioannem Pontificem mordicus adhæsisse scribit Josephus. In hoc quoque Joanne finitur tota veteris Testamenti historia. Cetera, quæ ad Historiam Judæorum pertinent, ex *Flavio Iosepho* præcipuè desumenda sunt.

Demetrius II. à Parthis dimissus, post mortem fratris *Sidetis*, secundò regnat in Syria. 131.

Hyrcanus destruit Templum à Samaritanis ante annos 202. ædificatum in monte *Garizim*, quod post 73. annos à *Gabinio* Syriæ Præside creditur fuisse instauratum. Vide Joan. 4. 20. 130.

Manasses frater *Iaddi* Pontificis, gener *Sanaballatti* Samaritanorum Principis, Sacerdotio privatus, patriaque ejectus, quòd contra legem uxorem alienigenam duxisset, consentiente Alexandro Magno, in *Tyri* obsidione tunc occupato, anno ante Christ. 332. hoc Templum ædificandum curarat. Non desunt tamen qui aliquantò citiùs ædificatum fuisse contendant.

Alexander II. Zebina, victo Demetrio (qui & paulo post occisus est) regnum invadit, sed non nisi partem quamdam Syriæ occupat. 127.

Seleucus V. Demetrii filius, tenet alteram; verùm nondum elapso biennio, à matre sublatus est.

Antiochus VIII. cognomento *Crypus*, Seleuci frater, à matre Cleopatra, muliere supra modum ambitiosa & crudeli, contra Alexandrum Rex constituitur. 126.

Hic Alexandro Zebina superato, universam Syriam obtinet. 124.

Ptolomeus Lathurus à morte patris *Phry-* 117.

sconis

sconis regnat annis XXXV. cum matre Cleopatra XVII. decem in Insula Cypro, quam, cùm Ægypto pelleretur, occupaverat. Denique matre mortua, aliis VIII. annis regnavit in Ægypto.

Antiochus IX. Cyzicenus, Grypi frater 115.
uterinus, Antiochi Sidetæ filius, partem Syriæ occupat.

Cleopatra quæ cum filio Lathuro regna- 114.
bat in Ægypto, ut hujus, quem vehementer oderat, vires accideret, Alexandrum filium secundo-genitum regem *Cypri* creandum curavit.

84. Aristobulus Joannis Hyrcani fi- 106.
lius & successor, Josepho etiam Judas dictus, Regium nomen & Diadema, post reditum è Captivitate Babylonica *primus*, assumpsit. Homo execrandus & impius; nam & Antigonum fratrem minimum ex insidiis interemit, matremque, teste Josepho, è throno deturbavit, & sustulit. Reliquos tres fratres in vinculis habuit. Unico anno regnavit.

85. Alexander Jannæus Fr. Ari- 105.
stobuli, annis XXVII. Hic, ut Græcis placeret, Græcum nomen assumpsit, dictusque est *Alexander*. Duos reliquit filios, *Hyrcanum* & *Aristobulum*, qui inter se de regno usque ad Herodis tempora contenderunt, eique tandem prædæ fuerunt.

Cleopatra Lathurum filium attentati in 101.
se parricidii reum agens, Ægypto pellit, vocatque in regni consortium minorem filium *Alexandrum*. Lathurus Cypri regnum occupat à fratre derelictum.

Seleucus VI. post patris *Grypi* mortem, 98.
regnat in una quadam parte Syriæ.

Antiochus Cyzicenus vincitur & occidi- 97.
tur

tur à *Seleuco VI.* fratris sui filio. Hic totam deinceps Syriam obtinet.

Antiochus X. cognom. *Pius*, Noni filius, pulso Seleuco VI. regnat in Syria. 96.

Antiochus XI. frater Seleuci, diadema accipit: sed mox ab Antiocho Pio sublatus est. 95.

Philippus, tertius *Grypi* filius, ac post biennium *Demetrius* frater ejus, alius quoque frater *Antiochus XII.* diversas Syriæ partes occupant, eamque misere discindunt ac lacerant. 94.

Alexander, occisa matre Cleopatra, à qua sibi necem metuebat, Ægypto pulsus, Cyprumque repetens, navali prælio periit. *Lathurus* restitutus. 91.

Syri has nimis diuturnas parvorum regum contentiones divisionesque pertæsi, TYGRANEM evocant *Armeniæ* regem, qui eis imperavit annis XVIII. 84.

Cleopatra I. post mortem patris *Lathuri*, regnat in Ægypto sex mensibus. 82.

Ptolomæus Lathuri Nothus, in Cypro regnat annis XXIV.

Alexander II. * qui Romæ apud Syllam fuerat, Reginam Cleopatram, cui sanguine junctus erat, ducit uxorem: qua post XIX. dies occisa, solus Ægypto præest annis XVI. 81.

* *Vide supra in serie Regum Ægypti.*

86. ALEXANDRA Jannæi Vidua, à morte Mariti regnat in Judæa annos IX. summum Sacerdotium deferens *Hyrcano II.* filio suo primogenito. 79.

87. HIRCANUS II. defuncta Matre Alexandra, Judæis imperat, nequicquam obsistente factione *Aristobuli* fratris sui. 69.

Lucullus Romani ductor exercitus,

Tauro monte superato, Armeniam ingreditur, *Tigranem* cædit, expugnatque Tigranocertam.

Sequenti anno idem *Lucullus* adversùs Tigranem, Regem Syriæ designat *Antiochum XIII.* cognomento Asiaticum, filium Antiochi Pii, & Cleopatræ Selenes; verum hic non nisi partem aliquam Ciliciæ obtinuit. Lucullus interea Nisibin capit urbem Mesopotamiæ. 68.

Triarius Luculli Legatus anno superiori victor, cum omnibus penè copiis à *Mithridate* Rege Ponti deletur. Hic amissum regnum recuperat, cùm Lucullum suæ ipsius copiæ fœdè destituissent. 67.

Tigranes Pompejo Luculli successori ultrò se subdit, ceditque quidquid adhuc tenebat in Cappadocia, Phœnicia & Syria, cujus partem aliquam Antiochus Asiaticus occupabat. 66.

Eodem an. *Aristobulus*, devicto fratre *Hyrcano*, Judææ regnum invadit; tenetque annos III. & menses III.

Alexander II. ab Alexandrinis Ægypto pellitur, annoque insequenti, Tyri, quò se receperat, moritur. *Ptolomæus* cognomento *Dionysius*, sive *Auletes*, Lathuri nothus substituitur. 65.

Pompejus irritatus adversùs *Aristobolum* fraterni regni usurpatorem, capit Hierosolymam, restituitque *Hyrcano* Principatum & Pontificatum, diademate tamen illi interdicto. Ex eo tempore cœpit ea civitas tributa Romanis pendere, & amittere libertatem. Eodem anno *M. T. Cicero* consulatum gerens, *Catilinæ* conjurationem adversùs Remp. feliciter dissipavit. 63.

Finis Regni Seleucidarum. Hoc

eodem

eodem anno *Pompejus* versans in Syria, Antiocho XIII. pro Syriæ regno attribuit Comagenam, urbi Antiochiæ indulsit libertatem, Syriamque redegit in PROVINCIAM, cùm ei Seleucidæ imperassent annis 249.

Auletem pellunt Ægyptii, quòd renuntiare nollet fœderi, quod inierat cum Romanis, Cyprum insulam Ptolomæo fratri ejus eripere molientibus. *Triphenæ & Berenicæ* filiabus ejus regnum detulere Alexandrini, in subsidium advocato *Antiocho Asiatico*, ut unà cum illis imperaret. Verùm is eodem tempore mortuus est. 58.

Gabinius Syriæ Præses, captis Hierosolymis, Templi thesauros expilat, *Hyrcano* Pontificatum asserit adversùs *Alexandri* Aristobuli filii machinationes. Judæorum Rempublicam, institutis quinque conventibus juridicis, *Aristocratiæ* formam jubet assumere. 57.

Auletes regno suo per *Gabinium* restitutus, Berenicen filiam occidi jubet, cùm annis IV. Ægypto imperasset. 55.

Urb. Cond. an. 700. 53.

Moritur *Ptolomæus Auletes*, sive *Dionysus*, successoribus relictis *Ptolomæo Dionyso*, & sorore ejus *Cleopatra II.* Marci Antonii amoribus famosa. 51.

Hæc à fratre pulsa, una cum sorore *Arsinoe*, comparando militi, abit in Syriam. 50.

POTESTAS JULII CÆSARIS. Cæsar trajecto Rubicone capit Ariminum, Romam victor ingreditur, *Pompejum* Italia excedentem prosequitur, in annum sequentem obtinet consulatum, *Bellumque Civile* aggreditur, funestum Romanæ libertati. 49.

Superato pugna *Pharsalica* Pompejo rã Ch.
Romanum Imperium sibi *Cæsar* subjicit. 48.

Cæsar cùm in Ægypto esset, submerso 47.
in aquis Nili Ptolomæo Dionyso, regnum *Cleopatræ* detulit, ea lege ut Ptolomæo fratri suo, secundo Auletæ filio nuberet. Idem, cùm in Syria versaretur, *Hyrcano* Pontificatum confirmavit, rejecta postulatione *Antigoni*, qui filius erat *Aristobuli* biennio ante defuncti.

Mors Julii Cæsaris. *Julius Cæsar* 44.
idib. Martii à *Bruto*, *Cassio*, aliisque conjuratis, asserere volentibus Reip. libertatem, XXIII. vulneribus confoditur in Senatu.

Potestas C. Octaviani Cæsaris. 43.
C. Octavianus Cæsar, Julii Cæsaris magni avunculi sui heres & filius adoptivus, æt. anno circiter XIX. consulatum init. 19. Augusti. Inde initium duci debet dominationis & potentiæ ejus, quæ universim duravit annos LVI.

Pachorus F. Orodis Parthorum Regis, 40.
expugnatis Hierosolymis, Hyrcanum auribus mutilatum abduxit, & 88. Antigonum Aristobuli filium, Principem Judæis imposuit.

Herodes, Rex declaratus.

Herodes F. Antipatri Idumæi, ante triennium defuncti, Romam navigat, media æstate illuc advenit, fultusque auctoritate *Antonii* & *Octaviani*, Senatus consulto, *Iudææ Rex* declaratur.

Post triennium, adjuvante *Sosio* Anto- 37.
nii duce, Capit Hierosolyma, indeque procedunt XXXIV. anni regni ejus. Cùm autem anni XXXVII. ei tribuuntur, ab eo tempore procedere intelligen-

di sunt, quo à Senatu Rex salutatus est. *Antigonus* Antiochiam ductus, jussu M. Antonii decollatus est.

Ananelus Babylone accersitus, summus Sacerdos ab *Herode* constituitur. Soluto Parthis lytro, *Hyrcanus* in Judæam revertitur, sed Pontificatum non recuperat. 36.

Herodes victus importunis sollicitationibus *Mariamnes* uxoris suæ, Pontificatum defert *Aristobulo* fratri ejus, filio *Alexandri*, & *Aristobuli* Magni nepoti; at anno sequenti in balneo eum suffocari jubet, redditque Pontificatum *Ananelo*. 35.

Agente *Octaviano Cæsare* apud Senatum populumque Rom. Reipublicæ hostis judicatur *Antonius*, bellumque decernitur adversùs *Cleopatram*. 32.

C. Octavianus Cæsar profligata ad ACTIUM Epiri promontorium, classe Antonii & Cleopatræ, inchoat MONARCHIAM ROMANAM, quam XLIV. annos tenuit. 31.

FINIS REGNI ÆGIPTII. *Octavianus Cæsar*, capto Pelusio, Ægyptum victor ingreditur. M. Antonius mortem sibi consciscit Kal. Augusti. Paucis post diebus, admota sibi aspide perit Cleopatra. Ita finem habuit Regnum Ægyptium, quod à morte Alexandri steterat ann. 294. 30.

Octavianus septimum Consul, à Munacio Planco AUGUSTI nomine condecoratur. 27.

Herodes Templum Hierosolymitanum splendidius reddere volens, anno regni sui decimo octavo grande illud opus auspicatus est. Utrùm à fundamentis instaurare cœperit (ut scribit Josephus) an dumtaxat resarcire & amplificare instituerit, non satis liquet. 20.

Herodes, *Antipatri* primogeniti filii sui 6.

calumniis irritatus, *Alexandrum* & *Aristobolum* filios, quos ex *Mariamne* Asmonæa susceperat, in urbe Sebastena trucidari jubet.

NATIVITAS JESU CHRISTI anno XXXIII. regni Herodis, *Augusti* anno XXXIX. Coss. Augusto XII. & Cornelio Sylla, die 25. Decembris. * 4

Herodes Magnus mense Novembri anni 5
hujus IV. ante æram vulgarem, moritur Coss. Sabino II. & Rufo, cùm regnasset, post capta Hierosolyma, annis XXXIV.

Archelaus F. Herodis ex *Maltace* Samaritana, paterni testamenti confirmationem Romæ impetrat, quo testamento ipsi Judæa & Samaria deferebatur. Principatum ab Augusto obtinet, sed *Regis* nuncupatione interdicta. *Antipas* frater ejus Galileæ & Pereæ *Tetrarcha* constituitur: *Philippo* fratri alteri, Trachonitidis, Paneadis, & Bataneæ Tetrarchia committitur.

ÆRA CHRISTIANA VULGARIS incipit anno XLIV. *Augusti* post primum ejus Consulatum, Urbis Conditæ anno 754. Olimpiadis 194. anno IV. & 4714. Periodi Julianæ.

* *Ita* Pezronius *post* Deckerium, Usserium, *&* *plerosque hodie recẽtiores. Sed de hac re magna & celebris cõtentio est, quæ ob brevitatẽ quã sectamur, hic tractari nõ potest. Videri potest* Petavius *Rationar. temp. p. 2. lib. 4. c. 1. ubi ait, sententiã* Deckerii, *si* Dionis *&* Josephi *auctoritatem sequimur, videri maximè probabilem. Et enim ex amborum, inquit, consensione superiore libro illud effectum est, Herodem anno Iuliano 42. circa Pascha esse mortum, cùm paulo ante luna defecisset. Quare necesse est, Christum saltem anno* Ju*liano 41. id est, quadriennio ante communem epocham (qua anno* Juliano *45. Christum natum ponit) in lucem exisse.* Baronius *Æram vulgarem Dionysianam etiam antevertit, sed biennio tantùm. Vide præfat. Concord. Euang. art. 9. & 10.*

§. XI.

§. XI.

REGNUM, RESPUBLICA, ET MONARCHIA ROMANORUM.

ORientalium Monarchiarum alternantem vicissitudinem & successionem, quasi in angusta quadam tabella conspeximus; supersunt *Statuæ* Nabuchodonosoro demonstratæ *Crura ferrea*, pedesque partim ferrei, partim *Fictiles*, quibus, *Hieronymo* teste, & adstipulantibus antiquis passim omnibus, ROMANI designati sunt: uti & eosdem præsignasse creditur *Bestia quarta*, terribilis atque mirabilis & fortis nimis: dentes *ferreos* habens magnos, comedens atque *comminuens*, & reliqua pedibus suis conculcans. Dan. 7. 7.

In hanc commentans *Hieronymus*, ita scribit: „ Quartum, quod nunc orbem tenet terrarum, Imperium Romanorum est, de quo „ in statua dicitur: *Tibiæ ejus ferreæ*, pedum „ quædam pars ferrea, quædam fictilis: tamen „ ipsius ferri ex parte nunc meminit, dentes ejus *ferreos* & magnos esse contestans. „ Satisque miror, quòd cum suprà *Leænam*, „ & *Ursum* & *Pardum* in tribus regnis posuerit, Romanum regnum nulli * Bestiæ „ compararit: nisi fortè ut formidolosam „ faceret bestiam, vocabulum tacuit, ut quidquid ferocius cogitaverimus in bestiis, hoc „ *Romanos* intelligamus.

* *Sc. nominatim.*

Hæc itaque Bestia, ceteris, quas Daniel antè conspexerat, valdè dissimilis, edomita præcedentium bestiarum virtute ac potestate, per *Varias formas*, à parvis initiis, ad dominatum Orbis tum cogniti propemodùm universi, paulatim congressa est, sed pedes ha-

habens ex parte *fictiles*, ideoque minùs firmos, molem suam integram diu sustinere non potuit.

Si ROMÆ spectes primordia, comperies totam ferè ex fæce populi primùm conflatam, ac vix aliud quàm prædonum fuisse confugium. Hoc porrò genus hominum solet ad asperitatem victus laboresque militares præ ceteris esse idoneum, ut mirum non sit Romanos ab initio fuisse bellicosos. Huic Urbi Deus, qui *mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit*, post Assyrios, Persasque & Græcos Imperium donare decreverat, quo factum est, ut firmandis ejus viribus multa sensim, juxta ordinem divinæ providentiæ, præsidia accesserint; licet ea civitas octo penè sæculis suæ provectionis ignorarit auctorem.

Dan. 2. 21.

Studuit cumprimis *Romulus* augendo numero incolarum. In concedendo jure civitatis, distabat plurimùm ab instituto *Atheniensium* & *Lacedæmoniorum*; nam in civitatem non modò facilè admittebat exteros, sed ultrò etiam quærebat quos adscisceret. Notum est quo pacto cum rege suo *Tatio* adsciti fuerint *Sabini*, gens austera, à *Lacedæmoniis* ducens originem, à quibus morum severitas in Romanos præcipuè derivata est.

Frequens deinde fuit populo Romano usus *Coloniarum*, quo & securitati Reipublicæ, & faciliori civium sustentationi provideretur. Id quoque usu plerumque receptum fuit, ut è civitatibus bello superatis viri aliquot ceteris nobiliores, aut potentiores Romam transferrentur, ut per eos, eorumve affines & familiares qui auctoritate valerent, si quæ exorituræ essent in provinciis contentiones, aut seditiones, citius feliciusque sedaren-

darentur. Curam præterea gessere singularem ordinandæ militiæ. Disciplina militaris sub *Tullo Hostilio*, Romanorum Regum tertio præcipue instituta, ac dein * *tradita per manus, in artis, perpetuis præceptis ordinatæ, modum*, sensim crevit, multisque sæculis admirandum in modum viguit.

* Livius lib. 9. n. 17.

Erant Romani ab ipsa sua origine feroces simul ac rigidi. Ferocitas reddebat intrepidos, austeritas & rigor, severos & inflexibiles; usque adeò ut vix unquam, in summis etiam calamitatibus, animo dejecti fuerint: Pacis conditiones Reip. ignominiosas, ne difficillimis quidem temporibus ratas habere voluerunt. Observatum fuit, cùm tempore *Annibalis* in summis angustiis Respublica versaretur, nullam à Romanis pacis mentionem injectam, nihil supplicatum, nullas finiendi belli conditiones fuisse propositas; imò verò in tanta calamitate tam infractis fuere animis, ut Cannensi prælio captos redimere noluerint.

Admiranda ea erat in Romanis animi magnitudo, quam constans rigidæ virtutis exercitium, ingens amor patriæ, zelus ferventissimus tuendæ libertatis, insatiabilis gloriæ laudisque aviditas, & immensa quædam cupido dominandi fovebant conservabantque. De hac re ita disserit * *Augustinus*: „ veteres igitur primique Romani, quantum eorum docet & commendat historia, „ quamvis ut aliæ gentes, excepta una populi Hebræorum, Deos falsos colerent, & „ non Deo victimas, sed dæmoniis immolarent, tamen * *laudis avidi*, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem, divitias „ honestas volebant: hanc ardentissimè dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt

* De Civ. Dei, l. 5. c. 12.

* Ex Sallustio in Catilin.

 „ pro

„ pro hac & mori non dubitaverunt. Ceteras cupiditates, hujus unius cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam suam, quoniam servire videbatur inglorium, dominari verò atque imperare gloriosum, priùs omni studio *liberam*, deinde *Dominam* esse concupierunt. Hinc est quòd regalem dominationem non ferentes, *annua* Imperia binosque Imperatores sibi fecerunt, qui *Consules* appellati sunt à *consulendo*, non Reges, aut Domini à regendo, atque dominando . . . . . Expulso itaque Rege Tarquinio, & consulibus institutis, secutum est quod idem auctor (nempe *Salustius*) in Romanorum laudibus posuit, quòd civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate quantum brevi creverit, tanta cupido gloriæ incesserat. „ Crevit sanè eo usque, ut si *Appiano* & *Polybio* fides est, omnes priores Monarchiæ vix dimidiatam Romani Imperii partem possederint. Concludit Augustinus: „ ista ergo laudis aviditas & cupido gloriæ multa illa miranda fecit, laudabilia scilicet, atque gloriosa secundùm hominum existimationem. „

* *ibid. c.* 13. Sequenti porrò * capite sic in eamdem sententiam progreditur Augustinus: „ Quam ob rem cùm diù fuissent regna *Orientis* illustria, voluit Deus & *Occidentale* fieri, quod tempore esset posterius, sed Imperii magnitudine & latitudine illustrius; idque talibus potissimùm concessit hominibus, qui causa honoris, laudis, & gloriæ consuluerunt patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemque ejus saluti suæ præponere non dubitaverunt, pro isto uno vitio, id est, amore laudis, pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes.

„ tes. " Gloriam quam tanto conatu quæsierunt, invenerunt, atque ita divina munificentia, quæ nec ipsum rationis rectum usum mercede sua vacuum esse sinit, eam ipsam, quam desiderarunt unicè, mercedem eis rependit; de qua re ita rursus *Augustinus*: * „ privatas res suas pro re communi, „ hoc est, Republica & ejus ærario contempserunt: avaritiæ restiterunt, consuluerunt patriæ consilio libero, neque delicto secundùm suas leges, neque libidini „ obnoxii. His omnibus artibus, tamquam „ vera via, nisi sunt ad honores, Imperium, gloriam. Honorati sunt in omnibus ferè gentibus: Imperii sui leges imposuerunt multis gentibus, hodieque literis & historia gloriosi sunt penè in omnibus gentibus. Ita non est quod de summi „ & veri Dei justitia conquerantur, *perceperunt mercedem suam*.„ * *Ibid*. c. 15.

At operæ pretium est ut ex *Salustio* cognoscamus, qua præcipuè ratione ingens Romanæ Reipub. splendor, decus atque potentia labefactari inceperint. „ Uti labore, inquit, „ atque industria Respublica crevit: Reges „ magni bello domiti, nationes feræ & populi ingentes vi subacti, Carthago æmula Romani Imperii à stirpe interiit, cuncta maria terræque patebant, fortuna sævire „ ac miscere omnia cœpit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facilè toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ „ aliis, oneri miseriæque fuere. Igitur primo pecuniæ, deinde Imperii cupido crevit. Ea quasi materies omnium malorum „ fuere. Namque *avaritia* fidem, probitatem, ceterasque bonas artes subvertit; „ pro his superbiam, crudelitatem, Deos *In Catilin.*

„ negligere, omnia venalia habere, edocuit: *ambitio* multos mortales falsos fieri „ subegit; aliud clausum in pectore, aliud „ promptum in lingua habere; amicitias „ inimicitiasque non ex re, sed ex commodo „ æstimare; magisque vultum quàm ingenium bonum habere. Hæc primò paulatim crescere, interdum vindicari. Post „ ubi contagio, quasi pestilentia, invasit; „ civitas immutata: Imperium ex justissimo, atque optimo, crudele intolerandumque factum.

Ceterùm altiori divinæ providentiæ consilio, ad tam ingentia incrementa perductum esse Romanum Imperium, observavit * *S. Leo*. „ Ut hujus, inquit, inenarrabilis gratiæ (quam nempe Christus in orbem attulit) per totum mundum diffunderetur „ effectus, *Romanum regnum* divina providentia præparavit: cujus ad eos limites „ incrementa perducta sunt, quibus cunctarum undique gentium vicina & contigua „ esset universitas. Disposito namque divinitùs operi maximè congruebat, ut multa „ regna uno confœderarentur Imperio, ut citò pervios haberet populos prædicatio „ generalis, quos unius teneret regimen „ civitatis . . . (ita futurum erat) ut lux „ veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. „ Cujus enim nationis homines in hac tunc „ urbe non essent? aut quæ usquam gentes „ ignorarent quod Roma didicisset? sed & felicior quædam sors hanc urbem manebat. Postquam sæculis aliquot omnibus penè gentibus dominans, omnium servisset erroribus, eò provehenda erat, ut gens sancta, popu-

* *Serm. 1. de nat. Apost. Petri & Pauli.*

lus electus, civitas sacerdotalis & regia, perque sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latiùs præsideret religione divina, quàm unquam præfuisset dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, jus Imperii sui terra marique protulerit, minus tamen est quod ei bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subjecit.

Qui Romanam historiam vel legerunt, vel lecturi sunt, ut hæc eis lectio non sine fructu sit, meminisse debent, singularem illum *amorem patriæ*, aliaque quæ in illa sparsim occurrunt *exempla virtutum*, idcircò nobis esse proposita, ut nos qui cives sumus æternæ illius civitatis, ubi nullus oritur, quia nullus moritur, quamdiu hic peregrinamur, diligenter & sobriè illa intueamur exempla, & intelligamus, quanta dilectio debeatur supernæ patriæ propter vitam æternam, si tantum à suis civibus terrena dilecta est propter hominum gloriam. Videri potest *S. Augustinus* de hac re latiùs disserens, lib. 5. de Civit. Dei cap. 16. 17. & 18. ubi adductis & ad fidelium ædificationem sapienter expensis exemplis *Torquati*, *F. Camilli*, M. *Scævolæ*, *Curtii*, utriusque *Decii*, M. *Pulvilli*, M. *Reguli*, P. *Valerii Publicolæ*, Q. *Cincinnati* ad dictaturam ab aratro evocati, ac denique *Fabricii*, ita concludit: „ hæc & alia „ si qua hujusmodi reperiuntur in literis eo„ rum, quando sic innotescerent, quando „ tanta fama prædicarentur, nisi Rom. Im„ perium longè lateque porrectum, magni„ ficis successibus augeretur? proinde per „ illud Imperium tam latum, tamque diu„ turnum, virorumque tantorum virtutibus „ præclarum atque gloriosum, & illorum „ intentioni *merces*, *quam quærebant*, est red-

„ dita,

„ dita, & nobis proposita *necessariæ commo-*
„ *nitionis exemplo*: ut si *virtutes*, quarum
„ istæ utcumque sunt similes, quas isti pro
„ *civitatis terrenæ* gloria tenuerunt, pro *Dei*
„ *gloriosissima civitate* non tenuerimus, *pudo-*
„ *re* pungamur: si tenuerimus, *superbia* non
„ extollamur: quoniam, sicut dicit Aposto-
„ lus, *non sunt condignæ passiones hujus tem-*
Rom. 8.18. „ *poris ad futuram gloriam, quæ revelabitur*
„ *in nobis.*

Jam rerum Romanarum seriem brevissimè videamus. Ignoscet nobis iterum lector, si nonnulla hìc, quæ jam inde superius memorata sunt, repetita conspiciet. Aliter fieri non potuit, cum id & narrationis ordo, & incipientium, quàm suscepimus, institutio videretur exigere. Ceterùm nova ea videri poterunt, quia novo modo proponentur.

Tres habuit Res Romana *status principales*. Primus fuit sub *Regibus*, secundus *Aristo-Democraticus* sub Consulibus, tertius, à tyrannide inchoatus, fuit *Monarchicus* sub Imperatoribus.

Primus status sub Regibus.

In primo Reip. Romanæ statu, VII. *Reges* per annos 244. Romæ imperarunt.

Prima igitur adhuc vigente Monarchia, quam Assyriorum, Medorum, Babyloniorumque nuncupavimus, paulo ante * æram Nabonassari, annoque tertio sextæ Olympiadis vulgaris, anno autem ante æram Christ. 753. regnante in Judæa *Achazo*, annis circiter * 450. post *Excidium Trojanum*, Romulus & Remus fratres, quorum nota omnibus est historia, Urbis Romæ (quæ olim

* *Sex circiter annis.*

* *431. vel 4*1*6. juxtà marmora Arundeliana.*

olim caput orbis futura erat) tenuia tum fundamenta jecerunt, quæ mox *Romulus*, Romani inde regni ferociam auspicaturus, fraterna cæde fœdavit.

I. ROMULUS itaque urbis *fundator*, post *Sabinos* in civitatem geminata urbe admissos, post civitatem in curias tribusque distributam, post electos *Patres*, quos *Senatum* vocavit, cùm regnasset annos XXXVIII. incerto exitu in vivis esse desiit.

Anni ante Christ. *Post interregnum anni unius, successit* *Anni urbis Condita.*

II. NUMA POMPILIUS, genere Sabinus, & Curibus oriundus. Hic à Romanis Rex optatus, ad studia pacis se convertit, populoque *Leges* & SACRA sancivit, quibus ut auctoritatem adderet, familiarem cum Dea *Ægeria* consuetudinem simulavit, illiusque superstitionis fundamenta constituit, qua olim Roma omnibus penè gentibus *dominatura*, omnium quoque gentium *serviret* erroribus, magnamque sibi videretur assumpsisse *religionem*, quòd nullam respueret *falsitatem*. Regnavit annos XLIII. Sequitur 40.

S. Leo loco suprà citato.

671. III. TULLUS HOSTILIUS, *militiæ* artifex & bellator strenuus. Regnavit annos XXXII. De cœlo tactus, cum uxore, familiaque interiit. Eo regnante primum Romanæ urbis sæculum evolutum est, cùm in Judæa *Manasses* imperaret. 83.

667. *Alba* etiam diruta, ejusque opes omnes & incolæ Romam translati. In bello adversùs Albanos, tergemini hinc atque inde fratres, *Horatii* & *Curiatii*, celebre nomen adepti sunt. 87.

639. IV. ANCUS MARTIUS, Pompilii ex filia nepos, urbem *ædificiis augere* studuit, 113.

duit, *Latinos* à se superatos in eam recepit, interfluentem urbi Tiberim ponte commisit, mœnia muro amplexus est, & Ostiensem coloniam condidit, quasi jam tum animo præsagiens, fore ut Romani, maris olim Imperio potirentur. Regnavit annos XXV.

615. V. L. TARQUINUS PRISCUS, 139. Demarati Corinthii mercatoris filius, & Anci Martii filiorum tutor, fraude & ambitu regnum adeptus est. SENATUM hic ampliavit, cujus dignitas & auctoritas eo progressu temporis elevata est, ut unum illum speciem *Romani Senatus* cepie senserit *Livius*, * qui eum *ex Regibus constare* professus est. Tusciæ quoque populos XII. subegit *Priscus*, ab iisque *insignia summæ potestatis* accepit, fasces, trabeam, curules, prætextam, & id genus alia. Opera præterea in urbe magnifica condidit. Ita *pompæ*, splendoris ac magnificentiæ præcipuus auctor ac promotor fuit. Occiditur ab *Anci* filiis, cùm regnasset annos XXXVIII.

* Lib. 9. n. 77.

577. VI. SERVIUS TULLIUS, serva matre natus, primus *Censum* instituit, & quinto quoque vertente anno fieri decrevit. Secundum urbis annum sæcularem vidit. Urbem amplificavit. Et post regnum XLIV. annis summa cum laude administratum, generi sui ac filiæ execrando parricidio interiit. 177.

538. Regnante *Servio Tullio*, Babylonicum Imperium corruit, & ad CYRUM translata est Monarchia. 216.

533. VII. L. TARQUINIUS cognomento SUPERBUS, Prisci * nepos, regnum scelere partum, haud melius, quàm quæsierat, 221.

* Ex Dionys. l. 4.

fierat, administravit. Itaque ob crudelitatem & superbiam Sextique Tarquinii filii sui libidinem, (quam *Lucretia* nobilissima mulier experta, * violentas sibi manus intulerat) urbe & regno, cum omni familia, ejectus est, cùm regnasset
509. annos XXIV. 245.

Contigit hoc *Regifugium*, regnante in Perside *Dario Histaspi*, annis circiter 18. ante victoriam *Marathoniam*, quam de Persis Græci retulerunt; Pontifice Judæorum *Jesu* filio Josedech, qui primus post reditum è Captivitate Babylonica Pontificatum gessit: annis verò 173. ante initia *Alexandri Magni*.

* *Quid de hoc* Lucretiæ *facto sentiendū sit, vide apud* S. August. *Civ. Dei l.* 1. *c.* 19.

Atque hæc est *prima ætas* populi Romani, & quasi *Infantia*, primus Romanæ Reip. status, intra angustos hactenus limites coarctatus, usque ad annum ante Christ. 509.

SECUNDUS STATUS SUB CONSULIBUS.

Ineunte anno urbis conditæ 245. pulsis regibus, CONSULES primi creati sunt L. *Junius Brutus*, & L. *Tarquinius Collatinus*, ac deinceps Respublica sub *annuis Consulibus* fuit, usque ad annum U. C. 706. * quo C. *Julius Cæsar* perpetuam dictaturam, atque adeò tyrannidem sibi vindicavit, duravitque proinde status iste annis 461. vel si mavis 478. nempe usque ad annum U. C. 723. ante Christ. 31. quo, extinctis Antonio & Cleopatra, *Octavianus Cæsar Augustus*, liberam plenamque *Monarchiam* adeptus est.

* *Quamquam nomē* Consulum *multo diutius subsistit, nempe usque ad Annū Chr.* 541. *universim, annis circ.* 1050.

Cæterùm in hoc decursu temporis, *Consulibus* intermixti fuere DECEMVIRI, sed paucis annis; pluribus, TRIBUNI MILITARES;

qui

qui loco Consulum Remp. administrabant. Ab anno U. C. 245. usque ad 303. atque adeò annis 58. *Soli Consules annui* supremum gessere magistratum. *Decemviri* deinceps per biennium. His abolitis, bini consules restituti per annos XI. Posthæc, ab anno U. C. 317. *Tribuni Militares*, & *Consules* alternatim, aut mixtim, sexque anni fluxerunt absque supremo magistratu, donec anno U. C. 388. Consules in perpetuum restituti sunt.

Paulo post Consules creatos, anno nempe U. C. 261. aliud *Magistratus* genus, in favorem plebis, creatum est. Hæc enim ære alieno & potentiorum injuriis oppressa, usurisque exhausta, in montem sacrum trans Anienem flumen secesserat à patriciis, cùmque *Menenii Agrippæ* opera, consilio & oratione revocaretur, non antè acquievit, quàm impetraret magistratum, quem ad sui tutelam, patrum nobiliumque violentiæ objiceret. Ii autem TRIBUNI PLEBIS appellati sunt, quorum posteà potentia tam mirandum in modum excrevit, ut parùm aliquando abfuerit, quin ipsi Reip. exitialis foret. Discordiarum & certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum, inquit * *Sallustius*. Sed remoto metu Punico, simultates acriùs revixerunt.

* *Lib.* 1. *Hist.*

Fuere etiam identidem Romæ creati DICTATORES. *Extraordinarius* erat hic magistratus, qui nonnisi in summis *periculis* remedii loco assumebatur, penes quem unum, omnium magistratuum vis atque potestas esset, à *regno* non nisi *tempore* differens: nam, ut ait *Tacitus*, * *ad tempus tantùm dictaturæ sumebantur*. Primus hunc titulum gessit *T. Laertius Flavus*, consul anno U. C. 256. Complures deinceps subsecuti sunt, sed ad Reip. nu-

* *Lib.* 1. *Annal.* 1.

nutum, Dictaturam, quam susceperant, deponentes. Ad finem verò vergente Reip. libertate, *perpetua* facta est. Cœpit in *Corn.* Sylla, qui anno U. C. 672. ante Christ. 82. dictator creatus est. Ante id tempus, honoris hujus usurpatio, teste *Vellejo Paterculo* *, per annos CXX. fuerat intermissa, populo Romano usum *Dictatoris* non tam desiderante, quàm timente potestatem Imperii, quo priores, ad vindicandam maximis periculis Remp. usi fuerant. *Sylla* ad immodicæ crudelitatis licentiam inaudita ratione abusus est. Sed Dictatura anno uno ante mortem, Urbis verò conditæ 675. ultrò se abdicavit, postquam funestissimum *proscriptionis* exemplum primus in Remp. invexisset, quod postmodùm *Triumviri* tam infeliciter imitati sunt. C. Julius Cæsar dictaturam quater iniit, ac postremò anno U. C. 705. eam sibi *perpetuam* vindicavit. Ita fundamenta jecit *Romanæ Monorchiæ*, cujus tamen fructum capere, invidia suorum obsistente, non potuit, post triennium, aut paulo ampliùs, anno U. C. 710. ante Chr. 44. *Bruti* & *Cassii* aliorumque conspiratione sublatus.

* *Lib.* 2. *Hist.*

Romana potentia bellis primùm Italicis, dein externis, paulatim ad fastigium ascendit. Primis quinque sæculis post Romam conditam, intra solam ferè Italiam bellatum fuit. Bella, quæ post ejectos reges gesta sunt, præcipua hæc fuerunt.

Anni urbis Condita. 248.

1. Anno tertio à parta Romæ libertate, *Anni ante Chr.* 506. Porsenna Clusinorum in Etruria Rex, ad restituendos in regnum Tarquinios, bellum Romanis intulit, quo tempore *Horatius Cocles*, & *Mutius Scævola* celebre in historia nomen adepti sunt: ille, quod in sublicio ponte, donec is recideretur,

unus

unus hostium impetum retardarit, pon-
teque reciso Tiberim transnatarit; hic
verò, quòd ardentem in focum injecta
manu, quæ regem petens, alium occi-
derat, hostes ad petendam pacem,
tam inusitata animi virtute, commoverit.

496. 2. Cum *Latinis* primùm, mox cum 255.
495. *Volscis*, quibus se *Æqui* & *Hernici* adjun- 259.
xerunt, gestum est bellum, quod ex in-
tervallo sæpè repetitum, ad annos plures
propagatum est. C. *Martii Coriolani* cele-
488. berrima in matrem pietas, ad septimum 266.
belli cum Volscis annum pertinet. Pri-
ma *lex Agraria* à *Sp. Cassio* ter consule,
486. post victos ab eo Volscos, lata est, anno 268.
uno priusquam, ob affectatum regnum,
de rupe Tarpeja dejectus fuit.

483. 3. Diuturnum dein cum *Vejentibus* bel- 271.
lum gestum est, quod anno U. C. 271.
inchoatum, annos circiter 87. tenuit,
donec eorum * urbs, post decennalem
obsidionem, à CAMILLO dictatore ex-
396. pugnata est. Idem *Faliscos* non tam ar- 358.
mis, quàm justitiæ & virtutis opinione,
394. Romanæ ditioni adjecit. Hic est *Camillus* 306.
ille, parens patriæ, alterque urbis con-
ditor ac Romulus aliquando appellatus;
qui post falsò accusatus, vitandæ invi-
diæ gratia, Ardeam exulatum ivit, duo-
bus annis ante Romam à Gallis captam.
S. Augustinus, hoc præsertim exemplo
ostendit quanta laudatis etiam temporibus
injustitia in urbe viguerit: „ * Marcus
„ Camillus, inquit, illius temporis vir
„ egre-

* *Veji Etruriæ urbs antiquissima, ut magis e lucescat rerum humanarum vanitas, quo olim loco sita fuerit, vix satis hodie definiri potest, tametsi certum sit non nisi paucis milliaribus ab urbe Roma fuisse dissitam. Hoc tunc Vejentes fuere, inquit* Florus; *nunc fuisse quis meminit? quæ reliquiæ? quod vestigium? laborat annalium fides ut Vejos fuisse credamus.*

* *Lib. 2. de Civ. Dei c. 17.*

„ egregius, qui Vejentes gravissimos
„ hostes pop. Rom. post decennale bel-
„ lum, quo Rom. exercitus toties ma-
„ lè pugnando graviter afflictus est, jam
„ ipsa Roma de salute dubitante atque
„ trepidante, facillimè superavit, eorum-
„ que urbem opulentissimam cepit, *in-*
„ *vidia* obtrectatorum virtutis suæ, &
„ insolentia Tribunorum plebis reus fa-
„ ctus, tam *ingratam* sensit quam *libera-*
„ *verat* civitatem, ut de sua damnatione
„ certissimus, in exilium sponte disce-
„ deret, & decem * millibus æris absens * Livius habet XV.
„ damnaretur: mox etiam à *Gallis* vin-
„ dex patriæ futurus ingratæ.

391. 4. Bello igitur quod subsecutum est 363.
cum *Senonibus Gallis*, qui Cisalpinam
Galliam incolebant, parùm abfuit, quin
Rom. Respublica in perpetuum delere-
tur. Cæsis ad Alliam flumen Romanis, 364.
390. urbs à Barbaris *Capta & incensa* est. Sola
supererat arx *Capitolii*, quo se flos civitatis
receperat, quam M. *Manlius*, inde Ca-
pitolinus dictus, sex mensibus à Gallis
obsessam, acerrimè tuebatur; expu-
gnandam tamen, nisi nocturnas hostium
insidias *anser* clangore prodidisset. *Camil-*
lus Ardea ab exilio revocatus, absens-
que Dictator factus, Gallos obsidionis
pertæsos, à tergo cecidit, fugavit, &
ad octavum ab urbe lapidem penitus de-
levit. Romanos, Vejos migrare meditan-
tes, retinuit, & ad instaurandam pa-
triam adduxit. Paulo post *Manlius* ille *Ca-*
384. *pitolinus*, regnum affectare visus, de 370.
Capitolio, quod defenderat, præcipita-
tus est. Cum *Gallis* posthæc repetitum
sæpius in Italia certamen fuit, annis præ-
sertim

Anni ante Chr. | *Anni urbis Cond.*

sertim U. C. 394. 405. 450. 459. 469. quas irruptiones apud *Polybium* lib. 2. & *Livium* lib. 7. ac sequentibus reperies.

Magna sub hoc tempus inter patricios & plebejos altercatio fuit, his pertendentibus ut alter consulum ex ordine plebejo crearetur, illis acerrimè obnitentibus. Post anarchiam quinque, aut sex annorum, quæ ex hac contentione secuta est, *plebs* tandem pervicit, PRIMUSQUE è PLEBE CONSUL factus est *L.*
366. *Sextius.* 388.

Celebre factum *M. Curtii*, qui armatus & equo insidens sese demisit in voraginem, quæ in medio urbis foro repen-
362. tè extiterat, pertinet ad annum U. C. 392.

5. Prætermissis bellis aliquot minoribus, cum *Tiburtibus*, *Tarquiniensibus*, *Faliscis* & *Hernicis*, novisque identidem renascentibus cum *Volscis*, *Antiatibus*, & *Latinis*, quinto loco recensemus SAMNITICUM, quo nullum deinceps gravius ac diuturnius fuit. Cœptum est anno
343. U. C. 411. Annos tenuit, uti cum *Floro*, *Eutropio* & *Orosio*, *Augustinus* asserit, 411.
circiter 50. *Appianus* memorat 80. *Petavius*, nescio quo auctore, numerat 70. vel unum amplius. Samnitium legati ita ad Annibalem loquuntur apud* *Livium*: *Per centum propè annos* cum populo Romano bellum gessimus, nullo externo adjuti nec duce, nec exercitu: nisi quòd per biennium *Pyrrhus* nostro magis milite suas auxit vires, quam suis viribus nos defendit. Non ergo secundis rebus nostris gloriabimur: duos consules ac duos consulares exercitus, a nobis *
321. sub jugum missos &c. Non sine clade 433.

* *Lib.* 23. *n.* 42.

* *Ad* Furculas Caudinas *An. U. C.* 433. Livius *lib* 9. *n.* 6.

uti-

utique & ignominia Romanorum, hoc bellum gestum fuit. At emersit Romana virtus, & in sui ultionem cunctas deinceps urbes Samnii paulatim delevit. Infamiam *Caudinam*, sequente anno majori Samnitium clade ac pari ignominia rependit *L. Papirius Cursor*, Imperator animi vigore, corporis viribus & bellica laude clarissimus, quem, teste *Livio* * parem destinarant animis MAGNO ALEXANDRO ducem, si arma, Asia perdomita, in Europam vertisset. Sed obierat is Babylone, annis ferè quatuor antequam hæc cum Samnitibus gererentur. * ibid. n. 16.

Post exortum bellum Samniticum, sed ante cladem Caudinam, fœdere tantisper cum Samnitibus inito, *Latini* novi hostes successere, anno U. C. 413. Sed anno sequente victi à duobus Coss. Manlio TORQUATO & DECIO, deditionem fecerunt. Mox rebellantes iterum, anno 416. penitus subacti sunt. Sunt autem ambo Consules isti in historia celebres: ille, quòd T. Manlium filium suum eumque victorem, quia contra mandatum consulum extra ordinem pugnaverat, securi percuti jusserit; iste verò, quòd se pro exercitu certissimæ morti devoverit, cujus exemplum alter *Decius* filius ejus, anno U. C. 457. in prælio adversùs Gallos, est imitatus.
341. — 413.
338. — 416.

282. Sequitur bellum cum *Tarentinis*, quod illi, Romanorum classe direpta, & eorum legatis, qui de injuria questum venerant, temerè violatis, contra se provocarunt. Cæsi à Romanis, PYRRHUM Epirotarum regem ad auxilium evocant, 472.
280. — 474.

evocant, quocum sex annis bellum gestum est. Romanos inusitata *Elephantorum* specie territos primùm vicit; at mox ipse victus & castris exutus, magisque etiam justitia *Fabricii*, quam armis superatus, in Epirum rediit. Pyrrho fugato,
274. Tarentini cum sociis post decennale bellum, in Romanam venere ditionem. 480.
272. Reliqua deinceps cessit quoque Italia. 482.
Ita annos circiter quingentos in hac subjuganda, Roma consumpsit, fuitque ista,
L. Flor. ab ejectis nimirum regibus: *secunda ætas* populi Romani, & quasi *adolescentia*, qua maximè viruit, & quodam flore virtutis exarsit ac ferbuit, ita adolevit, verèque robusta & juvenis, par orbi terrarum esse cœpit.

Et sanè, celeriùs longè Romani exin progressi sunt, ubi ad *externa* bella deventum fuit. Qui annis propè quingentis domi luctati fuerant, ducentis qui sequuntur, Africam, Europam, Asiam, * totumque adeo orbem terrarum (tunc cognitum) bellis victoriisque peragrarunt; quod tempus fuit ipsa *Juventa* Imperii, & quasi quædam robusta maturitas. Initium à *Carthagine* factum est.

* Flori *ista hyperbole est.*

CARTHAGO, urbs Africæ maritima, navigationi & commercio opportunissima, magnam Africæ partem tributis subjecerat; in Siciliam, Sardiniam, & Hispaniam magnos emittere cœperat exercitus; diffundebat undique Colonias. Ita Carthaginienses, Romanis virtute non impares, navigandi etiam peritia superiores, in Romanorum incurrerunt invidiam. Exorta sunt BELLA PUNICA, quorum præcipua caussa fuit, utriusque civi-

civitatis ambitio, ac mutuò suspecta & formidolosa potentia. Eorum bellorum *tertium* Carthagini fuit exitiabile. Qui intra suos sese limites tutò continere potuissent, dum ambitione nimia extendere volunt dominatum, patuerunt ruinæ. At præter hanc immodicam dominandi libidinem, nonnullæ quoque aliæ, eversæ eorum Reipublicæ, causæ adferri possunt. Crescebat in dies in ducibus militiæ impotens quædam animi elatio & insolentia. Hanc *Pæni* tempestivè, ut poterant, reprimere debuissent. Dum negligunt, hi suæ ambitioni & gloriæ militare magis, quàm incolumitati Reip. didicerunt, successibusque inflati, eo tandem progressi sunt, ut eam in interitum adducerent. Ad hæc, Pœnorum copiæ militares penè omnes aliunde adscitæ, externæ, & conductitiæ erant, quibus Reip. salus ita cordi esse non poterat, uti civibus esse solet. Imò verò mercenarii hi milites primo bello Punico pacis transactione composito, stipendia sua & militiæ præmia postulabant; quod cùm exhausto ærario, præstari non posset, grassantes longè latèque per Africam, ita omnia vastaverunt, ut ægrè iis obsisti potuerit, annisque tribus & mensibus quatuor opus fuerit, ut tumultus isti sedarentur. Accedit quod maris Imperium, quo Carthaginenses potiebantur, quodque tota virium suarum contentione servare debuissent, nimis facilè sibi eripi passi fuerint. *Annibalem* denique, qui non sine prodigio ad hostium interiora penetraverat, congruis subsidiis instruere destiterunt, qua in re, sive

æmulatione & invidia, sive torpore & negligentia tantoperè peccaverunt, ut nullo deinceps remedio malis subsecutis obviare potuerint. Ita victores, conversa sorte, victi subjugatique sunt, ac deleta tandem funditus est Carthago.

7. PRIMUM BELLUM PUNICUM 490.
264. inchoatum est anno U. C. 490. tenuitque annos 23. Occasionem ei dedit *Sicilia*, cujus partem Carthaginenses occupaverant, & reliquam facilè obtenturi videbantur, nisi Romani, à quibus in causa *Mamertina* petebatur auxilium, intervenissent. Tum primùm Rom. exercitus mare tentare incœpit, ut in Siciliam trajiceret, & *Hierone* Syracusarum Rege socioque Carthaginensium celeriter victo, didicit etiam classe pugnare & vincere. *C. Duilius* mersa, aut fugata ad Liparas hostium classe, primus Romanorum 495.
259. maritimum egit triumphum, belli anno quinto. *C. Lutatius* anno ejusdem 23. & 513.
241. ultimo navalem alteram ad Ægarem Insulam victoriam retulit, qua cum Pœnis debellavit. Pax iis hac lege data est, ut insulis omnibus cederent, quæ Italiam inter & Africam interjacent, ac bis mille & ducenta, in annos XX. talenta penderent.

Nemo hoc bello tantam nominis claritatem consecutus est, quantam *M. Attilius Regulus*, cujus virtus, fides, constantia, & supplicii, quod à Pœnis ei illatum est, atrocitas, omnibus vulgò nota sunt. De hoc viro ita loquitur *Augustinus*: * „ Inter omnes suos laudabi„ les, & virtutum insignibus illustres vi„ ros non proferunt Romani meliorem,

„ quem

* *De Civ. Dei l. 1. c. 24. vide ejusdem libri cap. 15.*

„ quem neque felicitas corruperit, nam
„ in tanta victoria (quam nempe aliquo-
256. „ ties retulerat, priusquam à *Zantippo*
„ Lacedæmonio Duce victus, in hostium
„ manus vivus incideret) „ mansit pauper- 498.
„ rimus; nec infelicitas fregerit, nam
„ ad tanta exitia revertit intrepidus. "
Ut porrò ex tam illustri exemplo ethnici
hominis proficere noverint Christiani,
ita eos alibi admonet *Augustinus*: * „ si *Civ. l. 5. c. 18. n. 2.
„ *M. Regulus*, ne crudelissimos hostes ju-
„ rando falleret, ad eos ab ipsa Roma re-
„ versus est, quoniam, sicut Romanis
„ ipsum retinere volentibus respondisse
„ fertur, posteaquam Afris servierat, di-
„ gnitatem illic honesti civis habere non
„ posset; eumque Carthaginenses, quo-
„ niam contra eos in Romano Senatu
„ egerat, gravissimis suppliciis necave-
„ runt: qui cruciatus non sunt pro fide
„ illius Patriæ contemnendi, ad cujus
„ beatitudinem fides ipsa perducit? aut
„ quid retribuetur Domino pro omni-
„ bus quæ retribuit, si pro fide, quæ il-
„ li debetur, talia fuerit homo passus,
„ qualia pro fide, quam perniciosissimis
„ inimicis debebat, passus est Regulus?
Bellis ubique pacatis, *Templum Iani*
Romæ clausum est, id quod perrarò 519.
235. factum est. Sed exigua, & vix quadrien-
nis requies fuit. Novis mox motibus 527.
227. coortis, *Ligures*, *Sardi*; *Corsi* subacti,
Victi *Illyrii* cum Teuta regina. Victi 530.
224. quoque sæpiùs *Galli*, ac trans Padum
copiæ traduci cœptæ: denique *Insubres*
domiti. 536.
218. 8. SECUNDUM BELLUM PUNI-
CUM continuò subsecutum est, anno à

prioris fine vigesimo quarto, quod anno dein decimo septimo finem habuit. Hoc licet priori cedat annorum spatio, cladium tamen atrocitate adeò terribilius
Flor. l. 2, c. 6. fuit, ut, si quis conferat damna utriusque populi, similior victo sit populus qui vicerat, Belli causa eadem, quæ superioris, *dominandi cupiditas*, & in Pœnis impatientia servitutis. Pudebat nobilem populum, ablato mari, raptis insulis, dare tributa, quæ jubere consueverat. ANNIBAL Dux Carthaginensium, post subjugatam magna ex parte Hispaniam, *Saguntumque* Romanorum sociam civitatem eversam, stupendo itinere Alpium juga transgressus, in Italiæ viscera penetrat, iisque annis ferè XVII. inhæret. Romanum quater fundit exercitum, ad *Ticinum* Insubriæ, ad *Trebiam* flumen, ad *Trasimenum* lacum anno se- 537.
217. quente, denique prælio * *Cannensi*, quæ
216. clades omnium atrocissima fuit, futura 538.
etiam Romanis postrema, si Annibal ut vincere, ita uti victoria novisset. At ille frui maluit. Luxu & deliciis Campaniæ enervatus sensim exercitus, apud Capuam Cannas invenit. *P. Scipio*, qui à subacta Carthagine *Africani* nomen adeptus est, recuperata primùm Hispania, bellum in Africam transtulit. Revocatur Annibal decimo sexto belli anno; 551.
203. congressus acie, ab Scipione vincitur, fugitque ad *Antiochum Magn.* Syriæ Re-
202. gem. Victoris leges Africa suscipit, & 552. bello finis imponitur.

* Cannæ vicus est in Apulia.

Post Carthaginem domitam vinci jam à Romanis neminem puduit. *Macedonia*, *Syria*, *Græcia* secutæ sunt, omnisque propemo-

pemodum Europa. Anno urbis 554. pri- 554.
200. mum bellum *Macedonicum* inchoatum 557.
197. est, quartoque post anno finitum. *Philippo* regi duobus præliis victo ac debellato pax data est, regnumque concessum, sed restituta Græciæ civitatibus pristina libertate. *Syriacum* cum *Antiocho Magno*
192. bellum iniit anno U. C. 562. tenuit- 562.
que annos tres. Erat tùm apud Antiochum in exercitu *Annibal*, verùm nec summus ille dux militiæ efficere potuit, quo minus a Romanis *opulentissimus* Asiæ
190. Rex Antiochus vinceretur. Victo pax 564.
data, ea inter ceteras lege, ut regionibus omnibus, quæ erant cis Taurum montem, mulctatus, paternis sese finibus
189. contineret. *Ætoli* quoque & *Gallogræci*, 565.
qui Antiocho auxilio fuerant, perdomiti mox sunt & subacti. Secutum est *Macedonicum* alterum, quo *Perseus* ultimus Macedonum Rex anno regni sui undecimo,
168. à Consule *Æmilio Paulo* victus & in trium- 586.
phum ductus est, ac paulo post *Macedonia* Romanorum Provincia facta est. Accessit *Illyricum* cum Rege Gentio & *Achaja* omnis in deditionem accepta.

Hoc illud tempus est, intèr secundum atque postremum bellum Carthaginense, quo teste * *Sallustio*, optimis moribus, & maxima concordia egit popu-
149. lus Romanus. Sequitur TERTIUM BEL- 605.
LUM PUNICUM, inchoatum anno U. C. 605. quartoque post anno terminatum à P. Cornelio Scipione proconsule, qui Paulo Æmilio genitus, à Scipionis Africani filio fuerat adoptatus. *Carthago*, urbs semper æmula Romanæ potentiæ, instante præsertim *Marco Catone Censorio*, multa

* Lib. 1. Hist.

multa vi ac labore expugnata, penitusque subversa est, eodem anno quo *Corinthus* incensa. Arsit Carthago diebus XVII. Ceterùm annis duobus & viginti postquam à Scipione eversa fuerat, jussu Senatus, teste *Eutropio*, * separata est L. Cæcilio Metello, & T. Quinctio Flaminio Coss. eductique eo sunt cives Romani.

146. 608.

*Hist. Rom. lib. 4.

Vide La Bant. l. 7. c. 15.

Sublata Carthagine, quæ tamdiu æmula Romani Imperii fuerat, manus suas Roma in totum orbem terra marique porrexit, donec regibus ferè cunctis & nationibus subjugatis, aut certè Romanam amicitiam expetentibus, bellorum materia deficeret; tumque viribus suis malè uti aggressa est, donec iisdem sese ipsa confecit. Postquam *Asia* in Romanorum cedere cœpit potestatem, hæc unà cum *opibus* suis, *vitia* quoque Romam transmisit, prosperumque foris Romam cursum Imperii, crebræ posthæc ac fædissimæ domi tempestates interpellarunt, quarum ab *Tribunis pl.* nata sunt initia. Alebat scilicet Roma in sino suo malum intestinum, invidiam plebis adversùs patricios. *Tribuni plebis* magis magisque invaluerant, eratque per eos Respublica quasi divisa bifariàm. Multa extorserant, parumque aberat, quin invaderent principatum. Quin & nobiles aliqui, stimulante invidia adversùs æquales, plebis sese partibus adjunxerunt. Hinc factiones atque certamina. Calamitatem auxit principum ambitio, & formidolosa potentia, quæ civili discordiæ fomitem ministrarunt. Exercitus iis parere assueti; præstò erant ad omnia, addebantque adeò animos ad pessumdandam Reip. libertatem. Hæc prima fuit Rom. Imperii *senectus*.

Justin. l. 36. in fine.

» Sci-

„ Scipio Nasica, inquit * *Augustinus*, „ judicio totius Senatus vir optimus, „ nolebat æmulam tunc Romani Imperii *Carthaginem* dirui; & decernenti ut „ dirueretur, contradicebat * *Catoni*, „ timens infirmis animis hostem *securitatem*, & tamquam pupillis civibus idoneum *tutorem*, necessarium videns esse *terrorem*. Nec eum sententia fefellit: reipsa probatum est quàm verum „ diceret. Deleta quippe Carthagine, „ magno scilicet *terrore* Rom. populi „ depulso & extincto, tanta, de rebus „ prosperis orta, mala continuò subsecuta sunt, ut corrupta disruptaque „ *concordia*, priùs sævis *cruentisque seditionibus*, deinde mox malarum *connexione* causarum, *bellis etiam civilibus* „ tantæ strages ederentur, tantus sanguis effunderetur, tanta cupiditate „ *proscriptionum* ac rapinarum ferveret „ immanitas, ut Romani illi, qui *vita integriore* mala metuebant ab *hostibus*, *perdita integritate* vitæ, crudeliora paterentur à *civibus*: eaque ipsa „ *libido dominandi*, quæ, inter alia vitia generis humani, meracior inerat „ universo populo Rom. posteaquam *in paucis potentioribus* vicit, obtritos fatigatosque ceteros etiam *jugo servitutis* oppressit.

* *Civ. Dei l. 1. c. 30.*

* Marco Catoni Censorio, *qui major dicitur. Hujus pronepos fuit* Cato minor, Uticensis *dictus, quia Utica, quæ civitas est in Africa, ne in Julii Cæsaris manus veniret, se ipse occidit utriusque innocentia & sapientia in proverbium abiit.*

133. Cruentæ *Seditiones*, de quibus hic loquitur *Augustinus*, à *Gracchis* fratribus Tribunis plebis excitatæ sunt, prior à *Tiberio Graccho* annis circiter XII. post deletam Carthaginem; posterior à *Cajo* 621.

121. *Graccho*, annis ferè XII. post priorem, quibus in seditionibus primùm usque ad 633.

sanguinem civilem eventum est. Uterque frater occisus; cum Cajo, oppressus quoque Fulvius Flaccus Consularis; & mox Opimius Consul tam severam quæstionem exercuit, ut per eam, *Augustino* teste, tria hominum millia occisa sint.

Ceterùm res hìc non stetit, sed *malarum connexione Causarum*, bella civilia proscriptionesque secutæ sunt. Etenim ex seditione Caji Gracchi, ortus est tribunatus *Livii Drusi*, quem Patres Equitibus, qui ex lege Gracchi judicia occupaverant, opposuerunt.
91. Ex hoc *Bellum sociale*, quòd promissa 663.
94. à Livio Drusò *civitas* non præstare- 660.
tur. Ex hoc *Mithridaticum*, cùm Mi-
thridates Rex Ponti confisus *Discor-*
diæ Italiæ, multa civium millia,
quæ in suo regno negotiabantur, jus-
83. sit interfici. Ex hoc *Bella civilia Ma-* 671.
riana, cùm *Marius* sexies Consul,
provinciam & bellum Mithridaticum
L. Sullæ vellet eripere. Ex hujus se-
78. minibus, *Sertorianum* in Hispania, 676.
(a) 63. *Lepidanum* in Italia, (a) Conjuratio (a) 691.
(b) 49. *Catilinæ*, postremo (b) *Pompejanum*. (b) 705.
(c) 43. Hinc *Julii Cæsaris regnum*, quo occi- (c) 711.
(d) 42. so, Bella civilia (c) *Antonianum*, (d) 712.
(e) 36. *Philippense* in Thessalia Bruti, & Cas- (e) 718.
(f) 31. sii (e) *Siculum* sexti Pompeji, deni- (f) 723.
que (f) *Actiacum*, in quo ab Octaviano Cæsare Antonius classe victus est ad Actium Epiri promontorium. Ita corpus illud potentissimæ Reipublicæ multa venæ sectione vehementer debilitatum, novis hisce motibus intestinis omnes penè vires amisit, & jam Roma tot bellis lacerata civilibus, atque

suis

suis ipsa malis pressa, necessitate quadam rursus ad regimen *Singularis Imperii* recidit, quasi ad *alteram infantiam* revoluta. *Vide Lactan. loco supràcit.*

TERTIUS ROMANORUM STATUS SUB IMPERATORIBUS.

TERTIUS igitur Reip. Romanæ *Status*, sub Imperatoribus fuit, qui, si propriè & accuratè loquamur, non nisi in *Octaviano Cæsare Augusto* incœpit, post *Actiacam* victoriam, anno U. C. 723. ante Christ. 31. quo plenam liberamque adeptus est *Monarchiam*. Duravit hæc in *Occidente*, usque ad *Augustulum*, victum ab *Odoacro* Herulorum Rege, anno Chr. 476. per annos 507. finemque adeò accepit anno U. C. 1230. In *Oriente* diutiùs substitit; sed Turcarum potentia penitus tandem extincta fuit, anno Christi 1453. atque adeò anno post inchoatam Monarchiam Augusti 1484. Urbis Conditæ 2207. à *Constantino* autem, qui primus anno 330. Imperii sedem Constantinopolim transtulit, anno 1123. In utriusque locum variæ regna successerunt, quorum seriem aliàs recensebimus.

Vix erecta fuerat Monarchia, quin statim intelligere cœperint milites, penes se fore creandorum & abdicandorum Cæsarum potestatem. AUGUSTUS quidem feliciter ac pacificè imperavit, quatuorque habuit è familia sua successores; TIBERIUM, *Cajum* CALIGULAM, CLAUDIUM, atque NERONEM. Hic honos nomini ejus memoriæque tributus est. Sed post annos circiter 54. spreta, aut certè posthabita Senatus auctoritate, eligendi Imperatoris potestatem arrogare sibi exercitus incœperunt, electis mox

Galba, Othone, Vitellio & Vespasiano, quorum priorem quemque, posterior oppressit ac sustulit. Ea deinceps potestate funestum in modum, duobus etiam sequentibus sæculis milites abusi sunt; usque adeò ut sub medium sæculi tertii *triginta simul Tyranni* exorti sint, atque aliunde compertum sit, trecentis prioribus Monarchiæ annis plures ex Imperatoribus violenta morte, quàm naturali fuisse sublatos. Intellectu facile est, quantum ea res Romanum Imperium, sua jam pridem mole laborans, suisque se pedibus (à Tiberii utique tempore magna ex parte *fictilibus*) ultrà sustinere non valens afflixerit ac labefactarit.

Expectat, credo, lector, ut breviter saltem de singulis aliquid dicamus. Cæsar itaque Octavianus, qui ob auctum Imperium, Augustus à Senatu primus appellatus est, anno post *Triumviratum* institutum XII. sublatis Antonio & Cleopatra, solus rerum potitus est, tenuitque annos XLIV. ita universim LVI. annos potestas ejus complectitur. Augusto mensi, qui ante Sextilis dicebatur, nomen dedit. Ægyptum provinciam fecit. Cantabriam, Dalmatiam, Pannoniam, Illyricum, Rhetiam, Vindelicos, magnamque Germaniæ inter Rhenum & Albim partem, per *Drusium* & *Tiberium* privignos Romano Imperio adjunxit: Armeniam à Parthis, & Crassi signa recepit. *Scythas* etiam & *Indos*, fama dumtaxat cognitos, ad suam populique Rom. amicitiam per legatos ultrò petendam allexit. Cùm non superesset hostis, quem Romani timerent, Jani Templum, quod tantùm bis à condita urbe clausum fuerat, ipse ter clausit, orbe terra marique pacato, ita Deo volente, ut princeps

Vide supra, p. 148. & 149. Vide Tursell. l. 3.

ceps pacis JESUS CHRISTUS sub pacifico Imperatore, anno Imperii ejus XLII. HOMO nasceretur. Felix per omnia Imperator fuit, si clades * in Germania acceptas excipias. Hoc quoque ei minùs ex voto cessit, quòd stirpem virilem, cui tantum Imperium legaret, nullam habuit. Itaque *Druso* privigno Germanicæ expeditioni immortuo, *Tiberium Neronem*, alium ex *Livia* privignum & generum suum, adoptat, eique ejusdem uxoris impulsu Imperium legat. *Germanicum* Cæsarem Drusi filium, octo apud Rhenum legionibus præposuit, adsciri que per adoptionem à Tiberio jussit.

* Lollianam & Varianam.

Augusto igitur Nolæ mortuo, successit TIBERIUS NERO, totus ab ille diversus, homo subdolus & crudelis, simulans ea se velle quæ nollet, quasi infensus quibus consultum cupiebat: his verò, quos oderat, quasi benevolus apparens. Principia tamen Imperii ejus moderata fuere, *Germanici* Cæsaris metu. At eo veneficiis extincto, matreque Livia, quam utcumque reverebatur, demortua, in omne ruit crudelitatis genus, ministro utens *Sejano* præfecto prætorii, in quem ipsum tandem justa injusti Principis ira conversa est. Reges per speciem amicitiæ ad se evocatos retinuit, regno * quorumdam in formam provinciæ redacto. Ægrè verò Imperii fines contra barbaros defendit, Armeniam Parthis, Mæsiam Dacis, Pannoniam Sarmatis, Galliam Germanis diripientibus, *Capream* insulam, in quam secesserat, infamem reddidit sua nequitia luxuque. Ad ultimum deliciis & intemperantia confectus, anno principatus sui XXIII. ad Misenum extinguitur, magno totius populi gaudio, qui morte ejus libertatem sibi recuperasse videbatur. 37.

14.

* *Ita factũ Archelao Regi Cappadocia.*

* Ita dictu quod in castris militari habitu educatus esset.

Successorem habuit CAJUM Cæsarem, cognomento * CALIGULAM filium Germanici & Agrippinæ neptis Augusti. Is primò quidem haud indignum se Germanico patre, ac populi Rom. favore præbuit. Sed brevi in superbiam, libidinem & crudelitatem conversus, tyrannus extitit Tiberio immanior. Inter alia crudelitatis indicia, excepta vox ejus est: *Utinam pop. Rpm. unam cervicem haberet.* Ad extremum eò processit dementiæ, ut pro Deo coli se toto orbe terrarum, ac templa sibi constitui jusserit. Ceterùm novus hic Deus, IV. Imperii anno à

41. Chærea Cassio tribuno cohortis prætoriæ aliisque conjuratis interfectus est.

Post hunc T. CLAUDIUS Nero, Caji Caligulæ patruus, Drusi, Tiberii fratris, filius, Imperium gessit, homo natura minimè malus, sed vecors, ac stolidus, & libertorum servus: *Britanniam* & Orcades insulas, intra dies 16. per Cn. Sentium & A. Plautium, sine prælio ac sanguine subjugavit. *Mauritaniam* tumultuantem perdomuit, & provinciam fecit. Occisa *Messalina* conjuge, ex qua *Britannicum*, & Octavium susceperat, *Agrippinam* Germanici fratris filiam duxit, Neronis ex Domitio matrem, cujus precibus Neronem privignum adoptavit, & præterito Britannico filio, hæredem Imperii fecit. Itaque uxoris & privigni fraude, pater cum filio extinguitur.

55. Huic successit Domitius NERO, filius Agrippinæ sororis Caligulæ, annos natus XVII. Primo quinquennio ita gessit Imperium, ut inter optimos Principes haberi potuerit; quamdiu scilicet Senecæ præceptoris monitis obtemperavit; post, ætatis licentia & adulatione corruptus, in omnia probra ac de-

dedecora ita prolapsus est, ut monstri deinceps, quàm hominis similior fuerit. Fratrem, uxorem, matrem, amitam, cum præceptore Seneca, aliisque quamplurimis interemit. Ad hæc magnam Urbis partem per ludum incendit, ut Trojæ repræsentaret incendium. Interim quod ipse fecerat, *Christianis* objiciebat, quos Romæ insectatus est * primus, ferro, flammis & ferarum laniatu in ipsos sæviens. Judæos rebellantes repressurus, Flavium Vespasianum cum valida manu in Judæam misit, pauloque post, cùm ab omnibus quæreretur ad necem, carnificis in semet officium occupavit.

* Claudium *aliquà ex parte præcessisse colligitur ex* Suetonio. Judæos, *inquit*, impulsore Chresto, assidue tumultuantes, Roma expulit.

Sergius GALBA, Hispaniæ Tarraconensi Præfectus, Cæsar ab exercitu creatus, Neroni successit. Sed nimia severitas breve ejus Imperium fecit. Septimo eum mense confecit M. *Silvius* OTHO ab exercitu Imperator acclamatus, cui, trium circiter mensium, imperandi spatium fuit.

VITELLIUS à legionibus Germanicis, quibus consularis legatus præerat, Imperator delectus, ad Bebriacum levi prælio Othonis vincit exercitum, qui civilium pertæsus armorum, voluntariam sibi mortem conscivit. *Vitellium*, octo mensium Imperatorem, vita pariter & Imperio per præmissos duces Flavius VESPASIANUS exuit, quem *bello Judaico* occupatum, tam Pannoniæ Mœsiæque, quàm Syriæ exercitus, ad capessendam rempublicam instigaverant. Duos hic filios habuit successores, alterum TITUM, qui ob beneficentiam *delitiæ generis humani* dici meruit; alterum DOMITIANUM, secundum à Nerone *Christianorum* persecutorem, qui omnium penè principum habitus est teterrimus. Huic post XV. annorum tyrannidem suorum con-

69.

79.

81.

conspiratione sublato, & ignominiosè sepul-
96. to, *Coccejus* NERVA ab ejus interfectoribus
98. suffectus est, qui *Ulpium*, TRAJANUM natione Hispanum, in filium adoptavit, & successorem habuit, sub quo Imperium jam pridem fatiscens, ita respiravit, ut numquam longius prolati fuerint Imperii fines, redactis in Provinciæ formam Dacia, Mesopotamia, Assyria & Armenia. Princeps is fuit tam prudens, fortis, moderatus ac mitis, ut *optimi* cognomen omnium consensu meruerit; in solos *Christianos*, ex præpostera Deorum suorum religione, iniquus.

Successit *Ælius* ADRIANUS, Trajani conso-
117. brinus & popularis, vir ingenio varius ac multiplex. Quanta hic Judæos clade afflixerit alibi * dictum est. Provincias Transeu-
*P. 121. phratæas, quas Trajanus fecerat, Parthis possidendas reliquit, idem de Dacia facturus, nisi amici fortissimè dissuasissent, ne tot Romanorum millia à Trajano istuc deducta, barbaris proderentur. Adoptavit in filium & successorem Atrium ANTONINUM, qui *Patris* af-
138. fectu Remp. administrans, PII cognomen obtinuit. Hic jussu patris adoptavit MARCUM AURELIUM *Antonium*, cognomento *Phi-*
161. *losophum*, qui regni collegam assumpsit LUCIUM VERUM fratrem, hominem mollem, & luxuria diffluentem, quo primùm tempore duo simul regnare visi sunt Imperato-
180. res. Annis circiter X. supervixit Lucio Vero *M. Aurelius*, successoremque habuit filium suum, *Aurelium* COMMODUM nomine, sed reipsa principum omnium, ob turpitudinem & crudelitatem, minimè commodum, scurram utique aut gladiatorem magis quàm Principem, ac Neroni ferè per omnia simillimum. Huic suorum insidiis,

qui-

quibus necem destinarat, oppresso, ab iisdem P. *Helvius* Pertinax Imperator factus est, sed à militibus disciplinam senis ægrè ferentibus, intra octogesimum octavum diem è medio sublatus est. Vacuam Imperii possessionem & quasi fluctuantem atque caducam, licitari ausus est *Didius* Julianus jurisconsultus, qui cùm donativum integrum militibus repræsentare non posset, post duos menses Imperii ab iisdem destitutus, jussuque *Septimi* Severi, qui Pannoniis præerat, & principatum occuparat, necatus est. De *Severo* judicasse Senatus dicitur, eum aut nasci non debuisse, aut non mori, quòd idem & rerum gestarum gloria inclytus utilisque Reip. fuisset, & illustrium virorum cæde infamis. 193. 193.

Eboraci in * Britannia mortuus, successorem habuit, filium suum *Antonium* Caracallam, qui *Getam* fratrem regni socium, altero anno Imperii, in ipso sinu matris interemit; ipse paucis post annis ab *Opilio* Macrino sublatus. Hic post annum mensesque duos quàm Imperium assumpserat, una cum *Diadumeno* filio, quem IX. annorum puerum collegam sibi asciverat, à militibus occiditur, succeditque Aurel. Antonin. Alegabalus Varius, ex Jovis, vel solis sacerdote, Imperator, Caracallæ filius vulgo, sed falsò creditus, mortalium omnium fœdissimus. At Princeps omnium optimus, ac pace belloque præstantissimus fuit qui successit, M. Aurel. Severus Alexander, *Mammeæ* filius. Hæc si Christana non fuit, eis certè plurimùm favit, nec ab iisdem Alexander abhorruit, quæ res in caussa fuit, cur Maximinus Thrax natione, olimque in juventute opilio, occiso à militibus Alexandro, 211. 219. 222. 235.

* *Quam & receperat, & ingenti vallo, fossa castellisq; munierat adversùs finitimorũ hostium incursiones.*

xandro, Imperator designatus in *Christianos* nova *persecutione* sævierit. Cùm nondum triennio regnasset, à PUPIENO Aquilejæ necatus est. Tres tunc simul Augusti facti sunt, *Pupienus*, *Balbinus*, & *Gordianus*, qui una Remp. annum unum administrarunt. Sed prioribus à militibus interfectis, * GORDIANUS optima puer indole, solus imperavit sexennio. Victor autem à *Persis* rediens, seditione militari, quam PHILIPPUS Arabs concitarat, occisus est, in cujus locum ipse parricida successit, qui quinque annis Remp. rexit, millesimum urbis annum ingenti ludorum apparatu celebravit, rei Christianæ cumprimis favit, imò multi veterum *Christianum* eum fuisse asseverant, quamvis hoc alii de favore in Christianos, quàm fidei professione malint intelligi, ut id honoris Constantino reservarent, qui eo certè vita & moribus, Philippo isto multo dignior fuit. Hic post quinquennium, unà cum Philippo filio, quem Imperii collegam fecerat, à militibus jugulatus est. Vacuum locum DECIUS occupavit, ab Illyrico exercitu electus, & 30. menses tenuit. Hic post feralia edicta contra *Christianos* edita, in bello adversùs *Gothos* (qui tunc primùm ex Septentrione erumpebant) gurgite paludis haustus interiit. Multi mox militaribus suffragiis propriaque usurpatione Imperatores creati sunt, mutuis ferè tantùm cædibus noti, GALLUS Hostilius, VOLUSIANUS ÆMILIANUS, postque hos vix degustato Imperio sublatos, Licinius VALERIANUS cum GALLIENO filio; pater, *Christianorum persecutor*, à Persis captus, in abjectissima servitute consenuit. Gallieni autem temporibus *Barbarorum incursionibus* res Romana adeò lacerata est,

238.

* *Præcesserant duo alii* Gordiani *pater & filius, qui adversùs Maximinũ Imperium usurparant in Africa. Horum junioris filius erat hic Gordianus III.*

244.

249.

259.

260.

est, ut *Augustino* * teste, credi à plerisque facilè tum potuerit mundi finem appetere. *Germani* in Galliam, Hispaniam, & in Italia Ravennam usque excurrunt; *Gothi* Thracias & Græciam vastaverunt: Dacia trans Danubium provincia omnis amissa est. *Gallienus* luxu nequitiisque perditus, tam ab his, quàm à XXX. qui alii aliis in locis exorti sunt, TYRANNIS lacerari passus est Imperium, cui tamen eorum aliqui, nonnulla ex parte, saluti fuerunt; in Oriente quidem, *Odenatus* Palmyrenorum Princeps, eoque occiso *Zenobia* * uxor ejus, virilis animi fœmina; Persarum impetum retardabant: in Gallia verò *Posthumius* nutantem Occidentem utcumque sustentavit.

* Ep. 80. V. E. nunc 199. n. 35.

* De quâ Aureliano Imp. postmodum triumphare non puduit.

Flavius CLAUDIUS II. Gallieno Mediolani occiso, à militibus surrogatus est; Princeps moderatus, utilisque Reip. *Gothos* incredibili strage concidit: sed post biennium peste sublatus est, cui *Quintillus* frater succedere volens, post XVI. dies Imperii, à militibus obtruncatus est. Igitur AURELIANUS, obscuris parentibus Sirmi natus, eorumdem militum favore Imperium obtinuit, quod quinto vertente anno, servi fraude interfectus, amisit. Princeps utilis Reip. at sævus & *Formidabilis Ecclesiæ*, pœnam hostibus ejus debitam citò persolvit. Septem circiter mensium secutum est interregnum, quòd inusitato hactenus exemplo, Senatum inter & milites, de eligendo Imperatore amica contentio exorta esset, utrisque mutuò sibi eas eligendi partes deferentibus. Tandem ab Senatu creatus est TACITUS, Imperator certè idoneus, sed septimo mense regiminis apud Tarsum febri sublatus, FLORIANO fratri reliquit Imperium, qui, electo à majori parte exercitus *Probo*, secundo Imperii mense vix evoluto, inci-

268.

270.

275.

276.

incisis spontè venis interiit. Marc. *Aurelius* Probus, Sirmiensis, vir omni laude cumulatus, suoque cognomento dignissimus, Gallia, Thracia & Asia à Barbarorum incursione liberatis, victisque *Bonoso & Proculo* anticæsaribus, anni Imperii septimo, militari tumultu, quem ob nimiam severitatem adversùm se concitaverat, in turri ferrata ad Sirmium interfectus est.

282. Post eum *M. Aurelius* Carus, Narbonæ in Gallia natus, Imperator factus est, qui statim Carinum, & Numerianum filios Cæsares creavit. *Carus* Persarum victor, ad flumen Tigridem, vertente primo anno Imperii, ictu fulminis interiisse dicitur: *Numerianus*: Apri soceri sui insidiis periit:

284. *Carinus* homo flagitiosissimus, à Diocletiano, quem exercitus *Augustum* appellarat, ad Margum Mæsiæ oppidum, victus & interemptus est.

285. Diocletianus, cùm Imperii pondus solus sustinere non posset, *Cæsarem*, * primo,

686. mox etiam *Augustum* creavit Maximianum Herculeum. His constitutum animo fuit *Christianorum* nomen toto orbe delere. Sed quo vehementior procella hæc fuit, eo quoque illustrior fuit victoria, quam de hostibus suis non pugnando, sed patiendo & moriendo, Christiana Religio reportavit. Vehementer inclinâbat id temporis res Romanorum, Provinciis intestino motu laborantibus, id quod in caussa fuit, ut ab *Augustis*

291. duo novi *Cæsares* designarentur, Constantius Chlorus, & *Maximianus* Galerius cognomento *Armentarius*, qui Diocletiano & Maximiano Imperio sese abdicantibus, *Augusti* renuntiati sunt; *Cæsares* verò duos

304. alios designarunt, Severum, & *Galerium* Ma-

* Cæsarum *potestas & ornamenta minora erant, quàm* Augustorum.

MAXIMINUM * sorore Armentarii genitum, quorum ille Italiæ, hic Orienti præpositus est, *Constantio* Eboraci in Britannia mortuo, 306.
CONSTANTINUS filius ejus, anteà Cæsar designatus, Augusti nomen & dignitatem occupat, quam contrà Romæ invadit MAXENTIUS Maximiani filius, & Galerii gener. Occiso 307.
deinceps *Severo* in bello adversùs Maxentium, Maximianumque patrem ejus, qui Imperium resumpserat, *Galerius* Imperatorem creat LICINIUM, quod ægrè ferens *Maximinus*, in 308.
Oriente Imperium usurpavit. *Maximianus Herculeus* Maxentio filio suo insidias struens Roma pellitur, & ad Constantinum fugit in Gallia; cui *Faustam* filiam in matrimonium dedit cum Augusti appellatione. Cùm deinceps adversùs generum quoque nefaria moliretur, re per Faustam detecta, Massiliam fugiens, perfidiæ suæ ibi pœnas dedit. Sequenti anno 310.
Galerius Maximianus, * corpore in putredinem & vermiculos, cum intolerandis doloribus, resoluto, dignum *Christianorum* hoste & persecutore exitum habuit. Constantinus 311.
cœlesti * *Crucis* ostento adversùs Maxentium animatus, superatis alpibus primùm duces ejus devicit ad Veronam, mox ad Mulvium pontem propè urbem, ipsum Maxentium profligavit, qui Romam fugiens Tiberi haustus interiit. Ita eventu victoriam comprobante, Constantinus in Christianam religionem pridem antè propensus, in eadem mirifice confirmatus fuit, *Pacemque Ecclesiæ* tot hactenus persecutionibus exagitatæ reddere cœpit, quæ pleniùs reddita fuit, postquam 312.

* *Lactant. de mort. persec. c. 33.*

* *Cum hac subscriptione:* in hoc vinces *Gracè ne an Latinè, auctores variant.*

Ma-

* *Cognomento* Dazam, *vel* Dajam *Homo erat, teste* Lactantio *de Mort. persecut. c. 19. semibarbarus, sublatus nuper à pecorib. & silvis, statim scutarius, continuò protector, mox tribunus, postridie Cæsar.*

313. *Maximinus* Christianorum carnifex à *Lici-*
nio victus, apud Tarsum Ciliciæ horrendæ
morte consumptus est. Licinius autem, &
315. ipse Christianorum hostis, à Constantino
324. aliquoties victus, cùm non cessaret res novas
325. moliri, ejusdem jussu Tessalonicæ occisus fuit.

Constantinus, suis in Ecclesiam meri-
tis verè Magnus, paucis post annis, Impe-
330. rii sedem * *Byzantium* transferens, Romanæ
potentiæ tuendæ & conservandæ non parùm
obfuisse putatur. Ita quippe *Occidens*, jam
antè vehementer concussus, multo magis pa-
tuit incursionibus Barbarorum, quibus diu
resistere non potuit. At hoc ipsum procul
dubio singulari providentia disponebat Deus,
qui Romam huc usque Imperii sedem, &
Christianorum persecutricem, Ecclesiæ Jesu
Christi filii sui caput esse decreverat, ut
quidquid non possideret armis, veræ religio-
nis subjectione teneret. Ita crescere oporte-
bat lapidem sine manibus è monte dese-
ctum, ut mons ipse factus, contrita idolola-
tria, totaque paulatim statua in pulverem re-
dacta, atque in ventos dispersa, totam ter-
ram impleret. Non mirum igitur quòd exin
res Romana cœperit magis magisque in dies
in pejus ruere, & retrò sublapsa referri. Cre-
vit origo mali, cùm aliquoties Imperium di-
visum fuit in *Orientale & Occidentale*. Post
337. mortem Constantini, tres filii ejus, Con-
stantinus, Constans atque Constan-
tius, Remp. trifariam dispertiti sunt; sed
Constantino à fratre Constante sublato, ipso-
340. que dein Constante per *Magnentium* tyran-
350. num interempto, rursus coaluit, totaque
sub Constantii potestate fuit, qua ille ad-
versus *Catholicos* pro *Arianis* vehementer abu-
sus est. Tristiùs etiam qui eum secutus est

* *Quam suo nomine* Constanti-nopolim *nuncupavit.*

Ju-

Julianus patruelis Constantii, infamis apostata, & subdolus Christianorum, à quibus desciverat, persecutor. Sed hic secundo anno Imperii, contra Persas movens, incerto telo percussus, inter voces blasphemiæ, infelicem animam exhalavit. 361. 363.

Jovianus Princeps Catholicus, militari suffragio, impio Juliano suffectus est; vir excellenti corporis specie, sed animi pietate præstantior, planéque idoneus qui labentem remp. sustentaret, nisi fato præmaturo, octavo Imperii mense, & ætatis anno 33. * in vivis esse desiisset. Sub ejus successore Imperium rursus divisum fuit, nempe Valentinianus I. apud Nicæam Bithyniæ Imperator electus, eodem anno Valentem fratrem suum Augustum appellavit Constantinopoli, ut *Orienti* præesset, ipse *Occidentis* contentus Provinciis. Fuere fratres hi vita, moribus, & religione valdè dissimiles. *Valentinianus*, solerti ingenio, virtute bellica, amore justitiæ, & Catholicæ fidei integritate spectabilis: *Valens* autem, ira, crudelitate, invidia, & *Ariana*, ad quam deflexit, perfidia, execrabilis. Mansit bipartitum Imperium post Valentiniani mortem, Imperantibus filiis ejus Gratiano & Valentiniano II. quorum ille post Valentis obitum * Theodosium cognomento Magnum Imperatorem *Orientis* designavit, paucisque post annis per *Maximum* Tyrannum interfectus est; quem mox ad Aquilejam Theodosius confecit; iste verò, suorum fraude apud Viennam Galliæ occisus, eique ab Arbogaste Tyrannus *Eugenius* suffectus est, quem orando magis quàm feriendo Theodosius superavit, ac sustulit, * & *Occidentem* suo adjecit Imperio. Quamquam eo diu frui

364. ** Pace cum Persis inita necessaria magis quam honorifica obiit apud Dadastanam oppidum in Galatiæ Bithyniæque confinibus cum ex Mesopotamia Constantinopolim reverteretur.*

375. * 378. 383. 392. 394. ** 6. Septembris.*

395. frui non potuit, quinto post mense Mediolani * extinctus. Princeps felix, verèque Catholicus, cujus in Deum pietas, & reverentia Sacerdotum * omnibus vulgò nota est.

Post hujus mortem, in filios ejus ARCADIUM & HONORIUM, qui vivo adhuc patre Augusti renuntiati fuerant, bifariàm divisum est Imperium, ita quidem ut numquam ultrà coaluerit. Patre moriente, *Arcadius* (cui Orientis Imperium attributum est) annum XVII. *Honorius* agebat XI. uterque mirè stupidus, & * ministrorum servus. Itaque regnante Honorio, Occidens objectus statim fuit, totusque patuit incursionibus Barbarorum. *Gothi*, Alarico duce, anno U. C. 1164. Romam capiunt & incendunt.

410. Annis sequentibus, multis magnisque cladibus & calamitatibus Romanum Imperium à Barbaris gentibus afflictum, contritum, tandemque in Occidente eversum, & in varias partes novaque regna dissectum est. A Septentrione tota fere hæc Barbarorum colluvies erupit. Varias Imperii regiones jam inde à sæculo tertio, ut suprà visum est, *Gothi* * invadere cœperant: at sæculo quinto horum æque ac aliorum Barbarorum præcipua irruptio facta est sub VALENTINIANO III. Placidæ sororis Honorii filio. *Alani, Vandali & Suevi*, nationes Barbaræ & *Ariana* hæresi infectæ, populatis Galliis, Pyrenæum transgressi, *Hispanias* occuparunt anno Christi 409. Gallæciam Vandali & Suevi; Alani Lusitaniam & Carthaginensem provinciam; *Silingi*, quod Vandalorum genus alterum fuit, Bæticam invaserunt. Anno autem 412. Gothi duce *Athaulpho* Gallias ingressi sunt, pauloque post in Hispanias

* 17. Januarii.

* *Post cædem Thessalonicensium, præcipiti ira ab eo imperatam, Ecclesiæ ingressu Mediolani ab* Ambrosio *prohibitus, culpam agnovit & disciplinæ se subdidit.*

* Arcadius *Rufini, dein Eutropii:* Honorius *Stilichonis.* *Vide* Paul. Orosium. *hist. l. 7. c. 40.*

* *De* Gothis *eorumque origine & progressu videri potest* Petavius *Rat. Temp. p. 1. l. 6. c. 14.*

nias digressi, sub rege *VVallia*, contra Vandalos, Alanos, Suevos, aliasque gentes, 415.
quæ eas regiones insederant, arma verterunt.
Eodem circiter tempore BURGUNDIONES Germaniæ populi, vicinam Rheno partem Gal- 413.
liæ invaserunt. Mox FRANCI, natio itidem Germanica, duce *Pharamundo*, irrumpunt in *Gallias*, quas ita sub ejus successo- 420.
ribus occuparunt, ut posthac numquam dimiserint. Secundùm hæc, imperante *Valentiniano III.* VANDALI & Alani, à Bonifacio
comite exciti, duce *Geiserico*, transfreta- 427.
runt in *Africam*, quam hic sibi paulatim
subjecit. HUNNOS deinceps è Pannoniis exci- 432.
vit *Aetius*, ut eorum opera contra Gothos uteretur, illi verò magnam partem Imperii, ac præsertim Illyricum Thraciamque populati sunt. *Britannia* à Romanis deserta, quod, evocatis inde in Galliam legionibus, à Scotis & Pictis tueri eam ultra non possent, patuit incursioni ANGLORUM, Saxonum 446.
ad Albim vicinorum, cùi in auxilium à Britonibus vocati, hostibus se conjunxere, eosque subegere, quibus auxilio profecti fuerant. Ita regnante *Valentiniano III.* ac maximè post necem * *Aetii*, apertissimo lapsu concidebat Occidentis Imperium, jacuitque per annos 324. donec Francorum virtute revixit. Nam qui Valentiniano * successere IX. Principes, usque ad *Odoacrem*, intra annos 22. mortui omnes, aut expulsi, simulacra Imperatorum, aut certè Reges Italiæ magis quàm Imperatores fuerunt, amissis penè cunctis Provinciis. Eorum interim hæc fuit successio.

Petronius MAXIMUS, qui Valentinianum occiderat, quod uxori suæ stuprum obtulisset, Imperii altero vix mense confecto,

** Erat hic Magister militum fortissimus, qui anno 451. Attilam Hunnorum Regem profligaverat in campis Catalaunicis; solusque rem Romanam utcumque sustinebat.*

** Ab anno 455. quo Valentinianus m.*

455. *Geisericum* fugiens, à suis laniatus interiit. Hunc excepit in Gallia Eparchius Avitus, socer *Sidonii Apollinaris*, qui post XVIII. menses Imperii à *Ricimere* Patricio & utriusque militiæ magistro, captus apud Placentiam, Imperium deponere coactus, ejusdemque * urbis Episcopus factus est. Julius

457. Majorianus, qui successit, Theodorici Visigothi victor, plus aliquid audere potuit, si vita suppetisset, sed quarto regni anno, Ricimeris fraude apud Dertonam interfectus, Libio Severo natione Lucano, vacuam sedem reliquit, quam hic ejusdem Ricimeris auctoritate occuparam, quarto etiam anno, moriens (incertum an patroni sui fraude) dimisit. Intercessit biennii interregnum,

461.

465. quo elapso Flavius Anthemius gener *Leonis* in Oriente Imperatoris, Imperator factus est, & post quinque annos Imperii à

472. * Ricimere genero suo deturbatus atque peremptus, qui Anthemio suffecit Anicium Olybrium, Valentiniani generum, qui septimo postquam creatus erat mense, vita functus est. Mox Flavius Glycerius Ravennæ sumit Imperium, quo anno uno men-

473. sibusque ferè IV. administrato, Julius Nepos locum ejus occupavit, qui Glycerium

474. in Portu Romano, vel, ut alii, Salonis fieri passus est Episcopum. *Nepoti* Imperium eri-

475. puit *Orestes* magister militum, quod hic tamen

* *Ita Valesius ex Gr. Turon. 2. 11. & Marii Chronico, quos opponit Evagrio, peste extinctum scribenti.*

* *Post dies 40. à nece Anthemii mortuus est* Ricimer, *Getous* Arianus, *quem tanta potentia fuisse constat, ut non solùm instar mancipiorum habuerit Imperatores Occidentis, pro arbitrio eos tollens & subrogans, sed & Ecclesiam S. Agathæ intra urbis mœnia, ipsis invitis Romanis Pontificibus sibi vindicaverit, in quam cum suis Arianis conveniret: quæ postea à S. Gregorio sacris expiata, Catholicorum usui restituta est. Vide* Spondan. *ad an.* 472. *num.* 2.

men sibi sumere noluit, sed in filium transtulit nomine *Romulum*, qui ob ætatem Augustulus nuncupatus est, fuitque Romanorum Imperatorum in Occidente * postremus. Nam Odoacer Turcilingorum, Scirorum & Herulorum Dux, Orestem ad Ticinum acie victum, apud Placentiam interfecit; *Augustulum* autem (ætatem pueri miseratus) abrogato Imperio, in Campaniam relegavit: ipse porro Italiam nomine Regio, sed sine ejus insignibus, annis circiter XVII. tenuit; donec ab Theodorico Ostrogothorum Rege (qui Zenonis Imp. hortatu Italiam adierat) tribus præliis superatus, intra Ravennam obsessus, ac postremò fraudulenter occisus est, quo tempore initium habuit Gothorum in Italia Principatus.

476. * *Vide supra p. 23.* 489. 493.

Substitit hic annis LX. sub Regibus (*a*) VIII. donec *Narses* Spado, genere Persa, Justiniani Imp. dux egregius, *Totilam* acie vicit & sustulit, *Tejas*que successor ejus, & Ostrogothorum regum ultimus paulo post in prælio cæsus est. *Narses*, devictis Gothis, Italiæ præfectus fuit. Hunc cùm *Justinus II.* Orien-

553.

(*a*) Ostrogothorum *in Italia Regnum hac series fuit.*
1. Theodoricus *m.* 526.
2. Amalasunta *filia Theodorici ex Clodovei sorore* Audefleda, *cum filio* Athalarico. *M.* 534.
3. Theodohatus, *interfector Amalesuntæ, quæ eum regni consortem fecerat. Occid.* 536.
4. VVitigis *gener Amalasuntæ. Captus à Bellisario an.* 539.
5. Ildibaldus, *à suis post biennium interfectus an.* 541.
6. Eraricus, *genere Rugus, post* 5. *menses interfectus.*
7. Totilas *Ildibaldi fratre genitus.* Occid. 552.
8. Tejas *à Narsete victus & pulsus an.* 553.

Orientis Imperator, virtutis metu, ad (a) Gynæceum damnaturus esset; ille tam atrocis injuriæ impatiens, ALBOINUM (b)
568. *Langobardorum* regem ex Pannonia evocavit, qui Italiam Græcis eriperet. Ita fundatum est

(a) *Erat enim* Eunuchus, *ferturque Sophia Augusta, uxor Justini, eum destinasse, ut puellis in Gynacee lanarum pensa divideret. Paul. Diac.* 2 c. 5.

(b) Langobardi *seu* Longobardi *à prolixa barba nominati, cùm* VVinili *antea dicerentur, è* Scandinnavia, *indidem unde & Gothi, Vandali, Rugi, Heruli, Turcilingi, profecti sunt.* Petav. *Rat. temp. p.* 1. *l.* 7. *c.* 10. *ex Paula VVarnefrido. Ex Ethnicis Christiani facti fuerant, sed* Ariani, *à quibus proinde Religio Catholica in Italia multis annis plurimùm passa est. Regum hac series fuit.*

1. Alboinus. *m.* 574.
2. Clephis. m. 575. *deim. XXX. Duces per annos X. interveniunt.*
3. Autharis *F. fit Christianus, sed Arianus. Theudelinda verè conjux ejus Catholica. m.* 591.
4. Agilulfus *à Vidua Theudelinda conjux & rex electus. m.* 616.
5. Adalvaldus *F. cum matre Theudelinda, pelluntur* 626.
6. Arivaldus. *m.* 638.
7. Rotharis. *m.* 653.
8. Rodaldus. *m.* 657.
9. Aribertus. *m* 662.
10. Gondebertus. *m.* 666.
11. Grimoaldus. *m.* 673.
12. Garibaldus, *&*
13. Bertaridus *F. Ariberti, ab exilio redux. m.* 690.
14. Cunibertus *F. m.* 703.
15. Luitpertus. *F.* 8. *mensibus.*
16. Ragunbertus. 3. *mensib.*
17. Aribertus II. *F. m.* 718.
18. Asprandus 3. *mensib.*
19. Luitprandus *F. m.* 743.
20. Hildebrandus 7. *mensib.*
21. Rachis *abdicavit, & monachus factus est ann.* 750.
22. Aistulphus, *Fr. Exarchatum tollit, sed vincitur à Pipino. m.* 756.
23. Desiderius *victus à Carolo M. an.* 774.

eſt regnum Longobardicum in Italia, in qua Græcis nihil relictum eſt præter quinque civitates, quæ erant: Ravenna, Roma, Spoletum, Neapolis & Beneventum: Langobardi ſedem regni *Ticinum* conſtituerunt & ab iis uſque hodie ampliſſimus Italiæ tractus *Lombardiæ* nomen obtinet.

Eodem porro tempore *Ravennam* EXARCHI tenuerunt. Ita dicebantur Græci illi in Italia præfecti, qui ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis mittebantur: & utcumque Langobardis reſiſtentes, reliquias illic Imperii tutabantur; ſed per impotentiam & avaritiam majora ferè, quàm hoſtes ipſi, damna ſuis afferebant. Horum *primus* fuit *Longinus* patricius, qui ſub annum 568. à Juſtino juniore Ravennam miſſus fuit. Decimus octavus, iſque poſtremus, *Eutychius*, ſub quo Aiſtulphus, Langobardorum rex penultimus, Ravenna expugnata, finem Exarchatus fecit, circa an. 752. Hac ratione annos circiter 185. 752.
Exarchi Græci Ravennæ præfuerunt.

Regnatum porrò eſt à Langobardis annis 206. ſub Regibus XXIII. Nam anno 774. poſtremus Rex *Deſiderius* cum Adalgiſo filio victus, regnoque exutus eſt à *Carolo* Francorum Rege, Pipini filio, *Magni* cognomen 774.
poſteà adepto. Ita divino munere factum eſt, ut & antiqua Romanæ urbis poſſeſſio priſcumque dominium *Petri ſucceſſoribus* confirmaretur, & *novum* exurgeret *Occidentis Imperium*, cùm CAROLUS MAGNUS à Leone III. Papa anno Chriſti 800. ipſo die natalis
Domini, Imperator coronatus eſt. 800.

Novum Occidentis Imperium.

Otto, vel novem habuit à sua prosapia successores. Novo huic Imperio, tametsi à veteri Romanorum potentia in immensum distante, *Romani* nomen inditum fuit; mansitque penes Caroli Magni * posteros annis circiter
912. CXI. nempe ad annum usque * 912. quo ad Saxones aliosque Germanos translatum est, inter quos *Conradus* Dux Franconiæ, primus recenseri solet. Ceterùm sæculo XIII. post mortem *Frederici II.* quæ in medium
1250. istud sæculum incidit, ingentes turbas in Germania Imperium passum est. „ Sex Candidati de Imperio certabant, qui vel mutuò se subverterunt, vel spontè cesserunt „ dignioribus. Nec turbæ desierunt, desinente studio competentium, sed fatale interregnum universam penè prostravit Remp. „ quæ erigi non potuit, priusquam *Rudol-*
1273. „ *phus* Comes *Habspurgensis* faustis auspiciis „ regendam illam capesseret, qui pacatis „ quæ turbulenta erant, Alberto filio Austriam Stiriamque acquisivit, fundator „ celsissimæ & regnatricis Domus Austriacæ. " In hac Imperium continuata ferè Imperatorum serie, hucusque gloriosè & feliciter perseverat; saltem, ab
1438. *Alberto II.* annoque 1438. series hæc interrupta non fuit. Res sanè mira, & in tanta rerum humanarum instabilitate inusitata; quòd, cùm in omni retro principum classe, vix *duo*, aut *tres* in una domo numerari soleant Imperatores, ac in prima ipsa *Iulii*, ipsa quoque *adoptio* non ultra *Sextum* prorogarit Imperium; in hac Austriaca, sanguinis & natalium serie, sine fulcro adoptionis, jam nunc *Sedecim* numerentur: qua in re intel-

* *Res hac nonnihil intricata est.*

Vide Cellar. in sæc. XIII.

tel-

telligere possumus tacitam à Deo vocem & testimonium contineri, familiam hanc, quæ Christi regno tam fideli constantique sedulitate famulatur, cœlesti vicissim protectione servari, ne consuetas temporum vices subeat, & cum tot aliis, quæ in suis fermè initiis defecerunt, evanescat.

IMPERIUM ORIENTIS.

QUod ad Romanum in Oriente Imperium attinet, *Byzantii* in Thracia, quæ civitas à Constantino Magno *Constantinopolis* dicta est, sedem habuit. Hanc ibi Constantinus constituit anno 330. substituitque hìc Imperium longè quàm in Occidente (*a*) diutiùs. Sed mox à divisione quæ post *Theodosii* mortem, in filios ejus *Arcadium & Honorium* fa- 395.
cta est, sensim etiam cœpit languescere, magisque porro imminutum est, cùm (*b*) *Zeno*, successorque ejus *Anastasius* rebus ad religionem pertinentibus temerè se ingerere & (*c*) hæreticorum partes tueri, aut fovere voluerunt. Sub JUSTINIANO aliquantulum Ro- *Ab anno*
mana potentia respiravit, debellatis per *Bel-* *527. usque*
lisarium VANDALIS, (*d*) Africam majori ex *ad 566.*
parte à centum & ampliùs annis occupantibus. Profligatis quoque per *Narsetem* GO- 534.
THIS, Italiam sub octo regibus annos jam 553.
ferè

(*a*) *Annis nempe 977. post Occidentale ab anno 476. quo hoc excisum est, usque ad 1453. quo Constantinopolitanum interiit.*

(*b*) *Anno 482. Heneticon edidit.*

(*c*) *Eutychianorum.*

(*d*) *Reges Vandalorum in Africa fuere VI.*

1. Geisericus, *Catholicorum persecutor, Carthaginem cepit an. 439. Romam an. 455. m. 477.*

2. Hunericus *F. & ipse persecutor. m. 484.*

fere LX. possidentibus. Attamen à priscis Romanæ Reipub. viribus longissimè adhuc aberat. Cùm enim Romana militia sexcenta olim & quadraginta quatuor virorum millia complexa fuisset; temporibus *Justiniani*, teste *Agathia*, vix habebat millia centum & quinquaginta.

Imperium Orientis crebris exin seditionibus, rebellionibus, motibus, bellisque intestinis magis in dies magisque debilitatum fuit. Partem suam rapere quisque cœpit, ut potuit. Ruinam acceleravere ignavia luxusque imperantium. *Bulgari*, qui anno 499. primùm ausi fuerant ex Sarmatia Asiatica Romanos in fines excurrere, Thraciamque populari, & jam tum formidolosi esse cœperant, non exiguam Orientis partem occuparunt. At formidolosiores fuere sæculo VII. SARACENI, qui duce MAHOMEDE, exitialis sectæ fundatore, regnante *Heraclio* prodire cœperunt, novamque religionem suam, *armorum vi* longè lateque propagarunt. Enimverò Deus hæreticorum Imperatorum (*a*) *Heraclii* & *Constantis* aliorumque sceleribus irritatus, Romanum ab hisce Barbaris

3. Gunthamundus, *Geiserici ex filio Gentone nepos, iniquus etiam in Orthodoxos. m.* 496.

4. Thrasamundus *Fr. præcedentis, gener Theodorici Ostrogothorum Regis, Anastasio Imp. amicus. m.* 523.

5. Hildericus *Hunnerici & Eudoxiæ Valentiniano III. genitæ filius, à* Gelimere *Gentonis nepote occisus anno* 529.

6. Gelimer *mox memoratus, in quo defecit Vandalorum in Africa dominatus, anno* 96. *post occupatam Carthaginem: post ingressum in Africam,* 108. *Christi,* 534. *Sequenti sæculo* Saraceni *Africam invaserunt, à quibus anno* 698. *Carthago expugnata est.*

(*a*) Monothelitarum *hæresim pervicaciter tuebantur.*

baris lacerari permisit Imperium. Post Mahomedis mortem, quæ in annum 631. incidit, successores ejus Saraceni paulatim Palæstinam, Syriam, Ægyptum, Heraclio Imperante, sibi subjecerunt. Persidem quoque fugato Rege (a) *Ormisda Jesdigerde* sub annum 635. subegerunt. Ita gens illa Arabica, ad castiganda Christianorum peccata divinitus destinata, velocis instar turbinis pervadebat omnia. Occupata deinceps Africa, ex hac etiam in *Hispanias* eruperunt, exciri à Juliano comite, injuriis Roderici Regis irritato. Has, cæso *Roderico*, octingentis ferè annis, aliqua saltem ex parte tenuerunt: *Gallias* quoque inundare molientes, à *Carolo Martello* feliciter repressi sunt.

713.

725.

Quod post tot clades, Orientis Imperio supererat, id quoque vehementer imminutum est, quando post Græcorum in * Latinos perfidiam, mutuasque eorum cædes, expugnata per fœderatorum classem Constantinopoli, anno 1204. *Balduinus* Flandriæ nostræ Comes, communi Latinorum consilio, Orientis Imperator electus est. Sed non nisi brevi temporis spatio, annis scilicet 57. ipse & posteritas ejus eo Imperii honore gavisi sunt: nam *Balduinus II.* qui in horum Imperatorum serie numeratur quintus, anno 1261. a *Michaele Palæologo* pulsus, Constantinopolitanam sedem ultrà recuperare non potuit, uti nec Philippus filius ejus.

* *Qui ad vindicandam ab Saracenorum jugo Palestinam, sacram expiationem susceperat.*

1204.

1261.

Eodem tempore, quo à Latinis Constantinopolis capta est, *Isaacius Comnenus* TRAPESUNTINUM fundavit Imperium, quod anno

(a) *Qui ab* Artaxerxe *primo post destructam dominationem Parthorum (qua anno Christi* 230. *in* Artabano *perierat) Persarum Rege, fuit XXVIII. & ultimus.*

anno circiter CCL. subsistit, ab eodem illo *Mahomete II.* Turcarum principe, dirutum, à quo & Constantinopolitanum, regnante Constantino X. Palæologo, penitus tandem eversum fuit. TURCÆ natio Scythica, aut certè Sarmatica, ab Heraclii tempore in historiis innotescere incipiunt. „ Egressi portis Caspiis circa annum 625. Persidem populati sunt, & Romanis contra Chosroen auxilio venerunt. Postea Constantino Monomacho regnante, sub annum 1042.* Persis, quorum erant stipendiarii, subactis, Mahometicam ab illis superstitionem hausere. Inde in Syriam, Cappadociam, ceterasque minoris Asiæ regiones infudere sese, in plures divisi principatus, è quibus, oppressis, extinctisque reliquis, unius *Othomanni* posteri rerum potiti sunt: à quo in Turcarum deinde principibus (a) *Othomannorum* nomen resedit. „ Horum primordium ad annum pertinet 1297. Hi ergo

Petav. *Rat. temp. p.* 1. *l.* 9. *c.* 7.

* *Persæ an.* 1500. *sub* Scha-Ismael-Sophi, *sua rursus gentis Principes accepe-runt.*

(a) Othomanidarum *usque in hunc diem hac fuit series atque successio.*

1. Othomanes *satrapa Sultani Iconiensis devicti. m.* 1326.

2. Orchanes *F. Nicæa & Callipoli expugnatis, m.* 1357.

3. Amurathes I. *F. qui à Joanne Palæologo contra Bulgaros in auxilium evocatus, primus copias in Europam traduxit, sedemque fixit Nadrianopoli. m.* 1389.

4. Bajazethes *F. longè omnium ferocissimus ac fortissimus: sed victus captusque à* Tamerlane, *seu Temire principe Tartarorum anno* 1402. *postratis dein Turcarum rebus, Bajazethi filii,* Iza Zelebis, Solimanus, Musa *præfuerunt, quorum posterior quisque priorem sustulit, anno autem* 1413.

5. Mahomedes I *occiso fratre Musa solus imperare cæpit. m.* 1421.

6. Amurathes II. *F. m.* 1451.

7. Mahomedes II. *F. expugnata Constantinopoli, regnavit annis adhuc ferè* 28. *universim* 30. *m.* 1481.

ergo exutis primùm *Saracenis*, quorum tamen religionem amplexi sunt, subjugarunt paulatim minores illos, qui identidem erecti fuerant, principatus, ac tandem anno 1453. 29. mensis Maji, à *Mahomete II.*, qui inter Othomannos Principes numeratur septimus (quem tamen alii octavo, alii etiam decimo loco recensent) expugnata est Constantinopolis, elapsis ab XI. Maji anni 330. qua dedicata fuerat à Constantino, annis 1122. & diebus 18. „ Languebat pridem „ Con- 1453.

8. Bajazethes II. *F. abdicavit Imperium an.* 1512.
9. Selimus I. *F. sub quo Turcarum ditioni contributa est* Ægyptus. *m.* 1520.
10. Solimanus I. *F m.* 1566.
11. Selimus II. *F. quo imperante* Cyprus *in Turcarum ditionem pervenit. Sed post memorabilem ad Naupactum à Christianis cladem acceptam tempore S. Pii V. A.* 1572. *m.* 1574.
12. Amurathes III. 1595.
13. Mahomedes III. *F. iners & in libidines resolutus. m.* 1604.
14. Achemetes I. *F. qui renuntiavit juri in Occidentale Imperium Rom.* 1617.
15. Mustapha *Achmetis Fr.* 2. *mensibus*.
16. Osmanus *Achmetis filius, puer duodennis, sed ingentis animi, & supra ætatem magnarum rerum cupidus. Strangulatur* 1622.
Reducitur Mustapha, *sed anno sequenti* 1623. *rursus carceri mancipatur.*
17. Amurathes IV. *Fr. Osmanni. m.* 1640.
18. Ibrahim *alter frater. Strangulatur à Janizaris* 1648.
19. Mahomedes IV. *F. ob clades, quæ, ob obsidionem Viennensem anno* 1683. *solutam, secutæ sunt, dejicitur à suis* 1687.
20. Solimanus III. *Fr. m.* 1691.
21. Achmetes II. *Fr. m.* 1695.
22. Mustapha II. *F. Mahomedis IV. carceri mancipatur anno* 1703.
23. Achemetes III. *Fr. Mustaphæ, natus*, 25. *Januarii* 1672 *hoc ipso, quo hæc scribimus anno* 1726. *adhuc regnare dicitur.*

„ Constantinopolitanum Imperium, ac velut „ in littus ejecta maris bellua, *multis con-* „ *fossa vulneribus*, paulatim cum morte lu-
Petav. *loco* „ ctando deficit; aut, ut *per interiora ser-*
cit. „ *pente venena*, tamdiu se corpus animantis „ utcumque sustinet, dum ad *cor* virus le- „ thale pervenerit: ita Græcorum regnum „ *grassante per ejus viscera Barbarie*, aliisque „ super alias accisis provinciis, sede ipsa de- „ mum Imperii, & arce capta, Constantino- „ poli, *funditus* est eversum. „ Ita finis impositus reliquiis, quæ in Oriente supererant, Romanæ potestatis.

Operæ pretium facturum me existimavi, si hic totam Imperatorum utriusque Imperii seriem, nec non Francorum in Gallia regum, brevi tabella ob oculos ponerem, ut quæ superius dicta sunt, aliquando clarius elucescant; quæ autem ob brevitatem prætermissa aliqua saltem ex parte innotescant, à *Constantino Magno* ducemus exordium.

Series Imperatorum utriusque Imperii,

à Constantino Magno usque ad hanc ætatem.

Constantinus Magn. ab an. 306. m. 337.
Synodus Nicæna. an. 325.

Transalp.	*Ital. & Afr.*	*Orient.*
Constantinus F. M.* 340.	Constans M. 350.	Constantius m. 361.

Nota M. majusculâ violentam mortem hic designare.

Julianus Apostata, Occid. 363.
Jovianus Cathol. Persis cedens. m. 364.

Occi-

Occident.	*Orient.*
VALENTINIANUS, m. 375.	VALENS Arian. M. 378.
GRATIANUS F. M. 383. ET	
VALENTINIANUS II. Fr. M. 392.	THEODOSIUS Magnus, ab anno 378. in Oriente; sub quo II. *Synodus* Constantinop. I. anno 381.
Maximus Gratiani percussor. Cæsus 388.	
Eugenius Valentiniani percussor. Cæsus 394.	

Idem THEODOSIUS solus anno 394. m. 395.

HONORIUS F. m. 423.	ARCADIUS F. m. 408.
VALENTINIANUS III. F. M. 455.	THEODOSIUS II. F. sub quo *Synodus Ephesina* an. 431. m. 450.
Maximus. m. 455.	MARCIANUS cum conjuge *Pulcheria*, Theodosii sorore. Hæc m. 453. ille m. 457. *Synodus Chalcedonensis* 451.
Avitus. dep. 456.	
Majorianus. M. 461.	
Severus. M. 465.	
Anthemius. M. 472.	
Olybrius. M. 472.	
Glycerius. d. 474.	LEO Magnus, m. 474.
Julius Nepos. d. 475.	*Leo II.* primi nepos, Zenonis filius, m. 474.
Romulus Augustulus Oreftis fil. d. 476. Succedunt Barbari *Odoacer* & post hunc GOTHI *	ZENO Isauricus, à *Basilisco* dejectus 476. restitur. 477. M. 491. auctor *Henotici* pro Eutychianis.

* Horum successionem vide suprà pag. 169.

Occident. *Orient.*

Anastasius I. Dicorus. *Eutychianus* m. 518.

Orientis.

Justinus Thrax. m. 527.

Justinianus Magnus, legislator, *Vandalorum* per Bellisarium, & *Gothorum* per Narsetem victor. Regnat annis. XXXVIII. m. 565.

V. Synodus ann. 553.

Justinus II. Italiam à Justiniano vindicatam, majori ex parte amittit, invadentibus * *Longobardis*. m. 578.

* *Quorum seriem habes suprà,* pag. 170.

Tiberius II. m. 582.

Mauritius. Tiberii gener. Cæsus à Phoca 602.

Phocas annis VIII. m. 610.

Heraclius. *Ecthesim* pro Monothelitis edidit anno 639. bellum gessit cum Cosroe II. Persarum Rege. Eodem imperante exortus est *Mahomedes*. m. 641.

Constantinus F. diebus 103, *Heracleonas* frater ejus, cum *Martina* matre, post sex circiter menses pulsus à Senatu.

Constans Constantini fil. Heraclii nepos. Victus à Persis. Pro Monothelitis *Typum* edidit an. 649. M. 668.

Constantinus Pogonatus, F. Cathol. sub quo *VI. Synodus*, an. 680, Victor Saracenorum. m. 685.

Justinianus II. F. cognom. *Rhinotmetus*, idest, naribus mutilatus, dejectusque an. 695.

Leontius patricius, hæreticus, dejectus an. 697.

Absimarus, aliter *Tiberius III.* M. 703.

Justinianus II. reducitur, regnatque iterum annis.

annis VIII. Rhinotmeto secundò Imperante celebrata est Constantinopoli in *Trullo* Synodus QUINI-SEXTA an. 707.* M. 711.

PHILIPPICUS Bardanes. Monothelita hæretic. expulsor Justiniani, quem an. 713. pepulit.

Artemius dictus *Anastasius II.* Cathol. d. & monachus factus est an. 715.

Theodosius III. Cathol. deserit 716.

LEO III. Conon, Isaurus. Dux *Iconoclastarum* ab anno 726. m. 741.

Constantinus V. dictus COPRONYMUS. F. Iconoclasta. Sub quo pseudo-Synodus Constantinopolitana adversùs imagines Christi & SS. anno 754. m. 775.

Leo IV. Chazarus F. ex Catholico Iconoclasta. m. 780.

IRENE Leonis Vidua, Catholica, cum filio *Constantino VI.* sub quibus *VII. Synodus* Nicæna II. an. 787. Pellitur illa à filio an. 790. Restituitur an. 792. Sola imperat ab an. 797. Dejicitur à *Nicephoro* an. 802.

* *Hoc anno, non autem 690. ut aliqui volunt, celebratam fuisse istam Synodum probant* Petavius & Cabassutius. *Multa sunt in ea Synodo, quæ Ecclesia Romana numquam comprobavit.*

Occident.	*Orient.*
CAROLUS MAGNUS novi Occident. Imperii primus Imperator ab anno 800. m. 814.	NICEPHORUS M. 811.
	Stauratius F. d. 811.
	MICHAEL Rangabe d. 813.
LUDOVICUS PIUS F. m. 840.	LEO V. Armenius Iconoclasta M. 820.
LOTHARIUS F. deserit, & fit monachus A. 854. m. 855.	MICHAEL BALBUS homo pessimus. m. 829.
LUDOVICUS II. F. m. 875.	THEOPHILUS F. Iconomachus. m. 841.

CARO- THEO-

Occident.	*Orient.*
CAROLUS CALVUS Lotharii frater m. 877.	THEODORA cum fil. *Michaele III.* illa d. 855. m. 867. iste. M. 867.
Ludovicus Balbus m. 879.	BASILIUS Macedo, sub quo *VIII. Synodus* CP. IV. an. 869. m. 886.
CAROLUS CRASSUS nepos Ludovici Pii ab anno 81. d. 87. m. 888.	
Arnulphus fil. Ludovici Balbi m. 899.	LEO VI. Philosophus F. annis XXV. m. 911.
Guido m. 894.	
Lambertus F. Guidonis. M. 910.	
LUDOVICUS IV. fil. Arnulphi, ultimus ex stirpe Caroli Magni m. 912.	ALEXANDER Fr. m. 912.
Impp. Germanici.	CONSTANTINUS VII. Porphyrogenetus F. Leonis & Zoes, cum qua regnavit usque ad 919. Tunc socium sumpsit ROMANUM, Lacapenum, socerum suum usque ad 944. dein solus m. 959.
(*a*) CONRADUS dux Franconiæ m. 819.	
HENRICUS I. Auceps. Saxo. m. 836, Conjux ejus B. *Mathildis* m. 968.	
OTHO Magnus *Victor* Hun-	Ro-

(*a*) *Primus imperasse dicitur ex Germanis: sed nec ipse, nec successor ejus* Henricus Auceps, *aliud fuisse videntur, quàm reges Germaniæ, regnantibus interea in Italia post* Guidonem *Spoletanum*, & Ludovicum *Bosonis filium*, Berengario I. Rudolpho *Burgundo*, Hugone *comite Arelatensi*, Lothario, *hujus filio*, & Berengario II. *cum* Adalberto *filio*, *quos* OTHO I *pepulit*.

Hunnorum, Coronatur Imp. à Joanne XII. an. 962. m. 973.

OTHO II. F. ex *Adelaide*. Conjugem duxit *Theophanium* F. Constantini VII. Imp. CP. m. 983.

OTHO III. puer, dictus *Mirabilia mundi* regn. an. XVII. m. 1002.

S. HENRICUS II. Bavarus, *Claudus* dictus. Cujus conjux *S. Cunegundis*, quæ m. 1038. ille verò m. 1024.

CONRADUS II. *Salicus* m. 1039.

HENRICUS III. *Niger*. F. m. 1056.

HENRICUS IV. F. infelix, præsertim ob contentiones de *investitura*, cum *Gregorio*

ROMANUS Junior. F. Constantini. m. 963.

Nicephorus Phocas M. 969.

JOANNES Tzimisces. *Victor*. Veneno periit 975.

BASILIUS & CONSTANTINUS fratres, filii Romani junioris, quos Joannes Imperii consortes fecit. m. ille 1025. hic verò 1028.

ROMANUS *Argyropolus* Constantini gener. præclarus pietate, ab *Zoe* conjuge strangulatur 1034.

MICHAEL IV. *Paphlago* m. 1041.

MICHAEL V. *Calaphates* adoptivus Paphlagonis fil. à *Zoe* excæcatus. d. 1042.

CONSTANTINUS IX. *Monomachus*, à *Zoe* maritus & Imperator eligitur, qua defun-

Occident.

gorio VII. P. ejusque successoribus. m. 1106.

Rudulphus Suevus Henrici æmulus.

HENRICUS V. quarti F. quo imperante CONCILIUM LATERANENSE I. celebratum est an. 1122. m. 1125.

LOTARIUS II. Dux Saxoniæ. m. 1139.

CONRADUS III. eo regnante celebratum est CONC. LATERANENSE II. an. 1139. Item suscepta 2. *Expeditio sacra.* anno 1147. m. 1152.

FRE-

Orient.

functa, & ipse m. 1054.

THEODORA Aug. soror *Zoes* m. 1056.

MICHAEL VI. *Stratioticus* d. 1057.

ISAAC COMNENUS d. 1059.

CONSTANTINUS X. *Ducas.* m. 1067.

ROMANUS DIOGENES, ducta in uxorem *Eudoxia* vidua Const. Ducæ. M. 1071.

MICHAEL VII. Ducas fil. d. 1078.

Nicephorus BOTONIATES; Invasor. d. 1081.

ALEXIUS COMNENUS, quo urgente, in *Concilio Claremontano*, cui *Vrbanus II.* præsidebat, decretum est PRIMUM BELLUM SACRUM contra Sarracenos, an. 1095. m. 1118.

JOANNES COMNENUS F. dictus aliter, *Calo Ioannes*, frater *Annæ*, quę patris Alexii res gestas conscripsit. m. 1143.

MA-

Occident.

FREDERICUS Barbarossa, sub quo * *Guelforum* & *Gibellinorum* factiones exortas fuisse aliqui ajunt. Celebratum CONC. LATERANENSE III. an. 1179. suscepta etiam 3. *Expeditio sacra* anno 1188. in qua ipse periit ann. 1190. Pertinax in Romanum Pontificem odium, violataque Ecclesiæ concordia, Frederici Ænobarbi, filiique ejus ac nepotis memoriam, non levi infamia resperserunt.

HENRICUS VI. F. Asper sub quo *IV. Expeditio* in Terram Sanctam. Veneno extinguitur 1197.

Philippus Fr. M. 1208. & OTHO IV. Saxo, ejus æmulus. m. 1218. CONC. LATERANENSE IV. an. 1215.

FREDERICUS II. Henrici IV. F. Rex (a) SICILIÆ, sub quo

Oriens.

MANUEL Comnenus F. annis 37. m. 1180.

Alexius Comnenus junior, sublatus ab Andronico 1183.

ANDRONICUS Comnenus M. 1185.

ISAACIUS ANGELUS ex Comnenorum familia, benè administrato Imperio deturbatur à fratre, oculisque orbatur. A. 1195.

ALEXIUS ANGELUS Fr. invasor, à Francis Venetisque dejicitur, capta Constantinopoli. A. 1203.

Alexius puer, Isaacii F. Venetorum ope. M. 1204.

Alexius Ducas MURSUPHLUS eodem anno, quo invadit, Imperium, deturbatur, capta iterum Constantinopoli. 1204.

Sequun-

* Guelforum, *qui Pontifici studebat*: Gibellinorum *qui Fridericū ejusque familiam sequebatur*.

(a) *De novi hujus regni Origine aliquid suprà expressum est pag. 35. Hic rem paulo latius producimus.*

Occident. | *Orient.*

quo *Guelforum* & *Gibellinorum* factiones invalescere & Italiam devastare cœperunt sub ann. 1228. d. 1245. M. 1250.

CONCIL. LUGDU-NEN-

Sequuntur V. (*a*) LATINI.

BALDUINUS Flandriæ & Hannoniæ Comes, captus à Bulgaris, & M. an. 1206.

HEN-

Robertus Guiscardus, *&* Rogerius *Gibbosus, filii Tancredi, natione* Northmanni, *cum suis, in Italiam digressi, insusitata animi magnitudine, tum* Græcos, *tum* Sarracenos *Apulia, Calabria, & Sicilia alternatim pepulerunt, fundaruntque regnum* Neapolitanum, *quod &* Siciliæ, *dici solet: Quamquam* Comitis *primò titulum gesserunt, postea* Ducis: *regium tandem nomen concedente* Anacleto *antipapa, tempore Innocentii II. primus usurpavit* Rogerius II. *sub anno* 1130. *quod illi* Innocentius II. *postea dicitur confirmasse: cùm idem ille Rogerius, antehac ab* Honorio II. *Dux fuisset compellatus. Princeps hic bellicosus quidem, sed ambitiosus admodùm & crudelis. m.* 1152. *Æt.* 58. *Principatus* 28. *successit.*

Guilielmus I. *F. Avarus, ignavus, & crudelis, m. Æt.* 46. *A.* 1166.

Guilielmus II. *F. cogn.* bonus. *m. Æt.* 36. *A.* 1189.

Tancredus *Rogerii II. ex Rogerio filio nepos. m.* 1193.

Guilielmus III. *F. quem mox* Henricus VI. *asper Imp. captivum in Germaniam abducendum curavit.*

Hoc Henrico A. 1197. *defuncto, in regno Sicilia successit filius ejus* Fredericus II. *postea Imp. de quo hoc loco. Varias dein vices regnum hoc subiit, sub* Carolo Andegavensi *fratre S. Ludovici; posteà sub Arragonum regibus, qui id sibi vindicarunt; qua qui desiderat, alibi requiret.*

(*a*) *Quibus eodem tempore opponebantur* Nicææ *Lascarini*, Theodorus *m.* 1222. Joannes *Ducas Batatses, gener ejus, m.* 1255. Theodorus II. *m.* 1258. Joannes Lascaris *F. oculis erutis M.* 1259 *quem* Michael Palæologus *excepit.*

Occident.

NENSE I. an. 1245.
Sequuntur V. Candidati, quoddamque annorum ferè XXV. *interregnum*.
Henricus Hassiæ & Thuringiæ Lantgravius. M. 1248.
Guilielmus comes Hollandiæ. M. 1256.
Conradus IV. F. Frederici. M. 1254.
Richardus Cornubiensis, Henrici III. Regis Angliæ frater. m. 1273.
Alphonsus X. cogn. Sapiens, Rex Castellæ & Legionis, qui electus anno 1257. sponte *Rudolfo* cessit an. 1273.

DOMUS AUSTRIACA.

RUDOLPHUS Comes Habspurgensis. m. 1291.
CONCIL. LUGDUNENSE II. an. 1274.
ADOLFUS Nassovius. d. & M. 1298.
ALBERTUS I. Austriacus F. Rudolfi. M. 1308.
HELVETI deficere incipiunt.

Orient.

HENRICUS Fr. m. 1216.
PETRUS Altisiodorensis, cum *Jole* conjuge sorore Balduini usque ad 1221.
ROBERTUS F. frater Philippi comitis Namurcensis, Imperium detrectantis. m. circ. 1229.
BALDUINUS II. F. Interfuit *Conc. Lugdunensi I.* fugatur anno 1261. capta à Græcis Constantinopoli. m. 1273.
Philippus Balduini F. ejusque filia *Maria Cortiniaca* uxor *Caroli* Comitis Valesii, per annos deinceps aliquot titulum gessere Imp. CP.
CRUCIATÆ, sive Expeditiones sacræ, desierunt A. 1291.

GRÆCI.

MICHAEL Palæologus ab an. 1261. m. 1283.
ANDRONICUS Palæologus. m. 1327.

HEN- AN-

Occident.

HENRICUS VII. Comes Luxemburgicus. m. 1313.

CONCIL. VIENNENSE. an. 1311.

De Imperio exin contenderunt *Fredericus III.* pulcher, Alberti Austriaci F. qui an. 1324. cæsus & captus est: & LUDOVICUS Bavarus dep. ab electoribus 1346. & M. 1347.

CAROLUS IV. fil. Joannis regis Bohemiæ, auctor *Bullæ aureæ* an. 1356. m. 1378.

VVENCESLAUS F. qui ob ignaviam abdicatur A. 1400.

RUPERTUS Bavarus, m. 1410.

Iudochus Marchio Moraviæ, mensibus VI.

SIGISMUNDUS Rex Hungariæ Caroli IV. F. quo regnante CONCIL. CONSTAN-

Orient.

ANDRONICUS II. Palæologus, nepos primi. m. 1341.

(a) JOANNES Cantacuzenus, ab Andronico ambobus filiis, Joanni Palæologo & Manueli *tutor* datus post annos XVI. pulsus est an. 1357.

JOANNES Palæologus m. 1384.

MANUEL Palæologus Fr. à nutu Turcarum pendens. m. 1419.

JOANNES Palæologus II. F. interfuit CONCILIO FLORENTINO anno 1439. m. 1448.

CON-

(a) *Qui sequuntur non uno modo, nec eodem annorum numero ab auctoribus referuntur. Nos* Petavium *&* Labbæum *hac in parte secuti sumus. Alii post Joannem Palæologum statuunt* Andronicum III. *impium in patrem, cujus fratrem fuisse ajunt* Manuelem *ejus successorem.*

Occident.	*Orient.*
STANTIENSE habitum est anno 1414. m. 1438.	
ALBERTUS II. Sigismundi gener, Austriacus, ex qua deinceps domo fuere omnes qui sequuntur. m. 1440.	CONSTANTINUS XI. Palæologus Dracoses dictus. Fr. M. 1453.
FREDERICUS IV. pacificus. m. 1493.	Constantinopolis à *Turcis* capta. Horum seriem suprà habes pag. 214.
MAXIMILIANUS I. F. m. 1519.	
Reliquos Occidentis Imperatores superiùs habes pag. 56.	

SERIES REGUM FRANCORUM IN GALLIA.

1\. FARAMUNDUS F. Marcomeris, Honorii & Valentiniani III. temporibus, ab A. circiter 420. m. 428.

2\. CHLODIO Crinitus. F. m. 448.

Dynastia I. Merovingorum.

3\. MEROVÆUS, Merovæi cujusdam fil. affinis Chlodioni, à cujus stirpe reges subsequentes MEROVINGI dicuntur. Duravit ea stirps annis 303. si à Merovæo ducatur initium: alioquin à Faramundo annis 331. sub regibus XXI. m. 458.

4\. CHILDERICUS I. F. d. 460. restit. 69. m. 481.

5\. CHLODOVÆUS I. Magn. F. victo *Syagrio* æmulo, qui filius erat *Ægidii* magistri militum, ejusdem regiam, Augustam Suessionum,

num, ipse post victoriam occupavit, Primus Francorum regum *Christianus*, & Barbarorum *Catholicus*. Rhemis à S. Remigio baptizatur A. 496. m. Luteriæ anno regni XXX. Chr. 511.

Post mortem Chlodovæi, quatuor filii ejus regnum dispertiti sunt.

6. THEODORICUS Metensis, sive Austrasiæ rex annis 23. m. 534.	*Clodomerus* rex Aurelianensis annis 13. m. 524.	*Childebertus* rex Parisiensis annis 47. m. 558.	7. CHLOTARIUS Suessione primùm regnavit. Dein solus. Universim annis 50. m. 561.

Theodebertus Theodorici F. regnat annis XIV. à Bubalo in venatione interfectus A. 548.

Theodebaldus F. Theodeberti, cujus post VII. annos mortui A. 555. *Chlotarius*, patruus magnus bona rapit, posteaque fratri etiam *Childeberto* succedens A. 558. solus regnat annis circ. tribus.

CHLO-

Chlotario mortuo, in quatuor rursus filios ejus regnum divisum est.

8. Charibertus Lutetiæ. m. 570.	*Guntramnus* Aurelianis. m. 593.	*Sigebertus* Metis. m. 575. *Childebertus II.* F. m. 595. huic duo ejus filii successerunt *Theodebertus* rex Austrasiæ. m. 611. & *Theododoricus* rex Burgundiæ. m. 612. isti rursus *Sigebertus* in Austrasia & *Childebertus* in Burgundia, quo utroque post biennium sublato, solus regnavit Chlotarius II.	9. Chilpericus Suessione ae dein Lutetię ab A. 570. m. 584. 10. Chlotarius II. F. solus regnat ab A. 614. m. 628.

11. Dagobertus F. Chlotarii. A. 623. vivo adhuc patre, rex Austrasiæ designatus; eo mortuo, majoris partis Galliæ regnum tenuit, fratri *Ariberto* Aquitaniæ tantùm aliqua parte relicta. m. 644.

12. Chlodovæus II. F. patri in Neustria & Burgundia succedit. m. 660.	*Sigebertus* frater, in Austrasia ab anno 632. m. 650.

Petav. Rat. temp. p.1.l.8.c.2. „ Eodemque tempore *Erchenualdo* palatii præfecto mortuo, Franci *Ebroinum* substituunt, „ crudelitate ac perfidia famosum hominem. Quo ex tempore solutis in luxum & inertiam Francorum regibus, „ ad *Palatii Præfectos* (qui *Majores domus* vocabantur) paulatim rerum summa pervenit: cùm per eos administrarentur „ omnia, reges verò solo contenti nomine „ Regia se continerent; nec nisi semel „ quotannis Kalendis Maji in conspectum „ populi venirent. „

13. Chlotarius III. F. m. 668.

14. Childericus II. Fr. antea rex Austrasiæ. M. 673.

15. Theodoricus Fr. tertius Chlodovæi II. fil. m. 690. Invalescit potentia *Pipini*, * Majoris domus Franciæ, augenda etiam in *Carolo Martello* * hujus filio, & ad regale fastigium evehenda in *Pipino brevi* illius nepote.

* m. 714.

* m. 741.

16. Chlodovæus III. F. m. 694.

17. Childebertus II. Fr. cognomento *Justus*. Regnavit annis XVII. solus XIII. ab an. 698. m. 711.

18. Dagobertus II. Fr. annis IV. m. 715.

19. Chilpericus II. *Daniel Clericus* dictus: regiæ, sed haud satis compertæ familiæ, à Francis è Monasterio eductus, Dagoberto

sub-

substitutus, à *Carolo Martello* fugatus & victus, m. 720.

20. THEODORICUS II. Cala, Dagoberti II. fil. m. 737.

Interregnum sex circiter annorum, sub præfectis palatii Carolo Martello, & filiis ejus, *Carolomanno* in Austrasia, & *Pipino* in Neustria dominantibus.

21. CHILDERICUS III. *Stupidus*, primæ stirpis postremus, an. 751. in Monasterium * S. *Bertini*, Audomaropoli in Artesia, à Pipino relegatus, inclusus, & detonsus, pauloque post ibidem mortuus est.

* *Ita annales Bertiniaci, licet alii aliud nominent Monasterium.*

Francorum Regum Dynastia II. Carolingorum nuncupata.

Duravit hæc Dynastia sub regibus XIII. annos 236.

22. PIPINUS brevis, consentiente *Zacharia* Papa rex electus A. 751. Victo *Aistulfo*, à Langobardorum oppressione Romanam Ecclesiam liberare cœpit. m. 768.

23. CAROLUS MAGNUS F. primùm Neustriæ & Burgundiæ rex: dein solus rex Franciæ ab A. 771. Italiæ A. 774. postea novi Occidentis Imperii primus Imperator, A. 800. m. 814.

Carlomannus frater ejus, rex Austrasiæ, 2. annis & aliquot mensibus. m. 771.

24. LUDOVICUS Pius I. F. filios habuit * quatuor, rebellione adversùs patrem, mutuisque præsertim bellis & discordiis in historia celebres, qui patre tum vivente, tum mortuo, regnum & Imperium variè partiti sunt. m. 840.

* *Lotharium Carolum, Pipinum & Ludevicum.*

25. Carolus Calvus F. qui A. 875. etiam Imperator factus est. m. 877.

26. Ludovicus Balbus II. F. patri in regno & Imperio succedit, anno uno & mensibus 7. m. 879. Successerunt filii *Ludovici* Regis Germaniæ.

27. Ludovicus III. m. 882. & | Carlomannus. 884.

28. Carolus Crassus frater eorum. Imp. & rex Francorum. d. 887. m. 888.

29. Odo, Roberti fortis comitis Parisiensis F. m. 898.

30. Carolus III. *simplex* dictus, F. posthumus Ludovici Balbi. Coron. 893. d. 923. m. 929.

Robertus Odonis regis Fr. uno ferè anno. M. 923.

31. Rudolfus dux Burgundiæ, Roberti gener. annis XII. m. 936.

32. Ludovicus IV. Transmarinus, Caroli Simplicis F. m. 954.

33. Lotharius F. princeps strenuus. m. 986.

34. Ludovicus V. F. cognom. *Ignavus* Carolingorum ultimus. Regnat annum unum, & mensib. 3. Veneno extinguitur 987.

Francorum Regum tertia Dynastia, Capetinorum dicta.

In hac familia regnum Francorum hactenus perseverat, quique hodie regnat *Ludovicus XV.* ab *Hugone Capeto* stirpis ejusdem auctore, numeratur XXXII.

35. Hugo Capetus Dux Parisiensis, filius Hugonis M. Abbatis dicti, Saxonicæ originis,

ginis, neglecto *Carolo* Lotharingo, Ludovici V. patruo, consensu principum ad regiam dignitatem evehitur A. 987. m. 997.

36. Robertus Pius. F. m. 1031.

37. Henricus I. F. m. 1060.

38. Philippus I. F. m. 1108.

39. Ludovicus VI. Crassus. m. 1137.

40. Ludovicus VII. junior. F. post patrem regnat annis 43. m. 1. d. 17. m. 1180.

41. Philippus II. Augustus, sive Adeodatus. F. post mortem patris regnat annis 42. & 9. mensib. m. 1223.

42. Ludovicus VIII. *Leo* dictus. F. vivente adhuc patre A. 1214. Victis Anglis in Pictonibus, in Angliam transmisit, quam pulso *Ioanne*, cui *sine terra* cognomen fuit, in deditionem accepit. Verùm ubi inde digressus est, tota confestim ad *Henricum III.* Joannis filium rediit. m. 1226.

43. S. Ludovicus IX. F. Ludov. VIII. & *Blancæ* piissimæ fœminæ, quæ patrem habuit Alphonsum IX. Castellæ regem, & matrem Eleonoram Henrici II. Angliæ regis filiam; obiit autem A. 1252. Sub hujus tam Sanctæ Matris tutela & disciplina, vitam piè ac innocenter agere, omnesque regiæ pariter & Christianæ virtutis numeros implere didicit Ludovicus. Primam adversùs Saracenos, in Africam expeditionem suscepit A. 1248. in qua captivus factus est anno 1250. eodemque anno liberatus: alteram A. 1269. cui immortuus est anno sequenti 1270. æt. 56. in Sanctorum numerum relatus à Bonifacio VIII. A. 1298.

44. Philippus III. Audax. F. quo regnante, funestas in Sicilia *Vesperas* Franci passi

sunt A. 1282. die 30. Martii, qui eo anno Dominicæ Resurrectioni sacratus erat. m. 1285.

45. PHILIPPUS IV. PULCHER F. Franciæ & Navarræ rex, cujus cum *Bonifacio VIII.* P. celebrimæ contentiones magnam disserendi materiam ministrarunt. m. 1314.

46. LUDOVICUS X. F. *Hutinus* dict. quæ vox teste *Cangio*, rixosum & pervicacem significat. Regnavit 16. mensib. 1316.

47. *Joannes* Hutini filius posthumus, intra octavum diem vita functus.

V. mensium interregnum.

48. PHILIPPUS V. Longus. Fr. Hutini. m. 1322.

49. CAROLUS IV. Pulcher Fr. m. 1328.

STIRPS VALESIA.

50. PHILIPPUS VI. *Valesius*, Caroli comitis Valesii, qui Philippi Pulchri frater erat, filius. Regnum contrà vendicare sibi conabatur *Eduardus III.* Rex Angliæ, *Isabella* Philippi Pulchri filia genitus. Quæ contentio utrumque populum Francorum & Anglorum, longo ac difficili bello afflixit, maximisque alternatim calamitatibus penè consumpsit. m. 1350.

51. JOANNES I. cogn. *Bonus*. F. m. 1364.

52. CAROLUS V. (a) sapiens. F. m. 1380.

53. CAROLUS VI. benè-amatus. F. regnavit annis XLII. m. 1422.

54. CA-

(a) *Hic primus* Delphini *titulum gessit, cùm A.* 1349. Humbertus *Viennensium princeps*, Delphinatum *Philippo Valesio donasset, aut vendidisset, ea lege ut primogenitus regis filius, Delphinatus nomen & insignia gereret.*

54. CAROLUS VII. Victor. F. annis ferè XXXIX. sub quo *Ioanna* Darcia, VIRGO AURELIANENSIS Franciæ ab Anglorum jugo liberatrix dici meruit A. 1429. m. 1461.

55. LUDOVICUS XI. F. celebria fuerunt hujus cum *Carolo Audace* Burgundiæ duce Belgiique principe dissidia. m. 1483.

56. CAROLUS VIII. F. dict. Affabilis. Ultimus *directæ* Valesiorum lineæ m. 1498.

57. LUDOVICUS XII. pater populi, filius fuit Caroli ducis Aurelianensis, cujus avus fuerat *Carolus sapiens*. m. 1515.

58. FRANCISCUS I. Valesius, gener & cognatus Ludovici XII. bellis cum *Carolo V.* notissimus: captus prælio Ticinensi A. 1526. m. 1547.

OCTO alios, qui supersunt, require suprà, pag. 56.



§. XII.

REGNI CHRISTI SEMPITERNA STABILITAS.

PErpetuam *Instabilitatem*, & *Vicissitudinem* regnorum atque Imperiorum, in quæ hucusque, punctum hoc terræ, quam incolimus, divisum fuit, ex iis quæ superiùs dicta sunt, perspicere utcumque potuit prudens lector; pleniùs perspecturus, si propositum nobis fuisset, vel per institutam opusculi brevitatem licuisset, principatuum & dynastiarum orbis, quotquot innotescere potuerunt, seriem recensere. Qui hanc nosse desiderat, is eam variis in libris nullo negotio poterit invenire; monendus tantùm, priusquam eos adeat, ut meminerit non nisi minimam partem conversionum & mutationum, quæ in Imperiis regnisque contigerunt, ab iis ipsis auctoribus, quibus curæ fuit omnia congerere, exhiberi potuisse, ob antiquiorum temporum obscuritatem, & plerarumque nationum incertissimas origines ac progressus. Enimverò vix dici potest, in quanta veteris historiæ ignorantia & oblivione versemur. Prima tempora prorsus incognita sunt, iis dumtaxat exceptis, quæ sacræ litteræ memoriæ prodiderunt. Exigua deinceps, subsequentibus sæculis, orbis terræ portio nota fuit. Soli ferè suppetunt *Græci* & *Romani*, quorum ad nos historia consequenti quodam filo ac serie perducta sit. *Ægyptiorum* & *Assyriorum* res pleræque obscuræ planè sunt & incertæ, innumerisque fabu-

fabulis ita intermixtæ, ut veritas vix ulla ex parte satis internosci possit. *Medorum* quoque & *Persarum* res obscuritatis & contradictionis plenæ sunt. Ceteræ ferè nationes, earumque res gestæ, scriptorum inopia, aut interitu, in densa oblivionis caligine remanserunt. Gentium Barbararum, quæ sæculo V. & VI. Europam inundarunt, totque in ea nova regna condiderunt, origines, successio, resque olim ab iis gestæ, priusquam aliò commigrarent, prorsus nos latent. Vix regionum situs, vix nomina ad nostram notitiam pervenerunt. Quo circa intra exiguum scientiæ circulum pusilli homunciones coarctamur; & quidquid vel de acumine ingenii, vel de vasta eruditione gloriari quis possit, fatendum equidem est, exiguum admodum esse quod novimus, atque infinitis partibus majus esse quod ignoramus.

Ceterum id quod novimus, abundè sufficit ut intelligamus, quantùm in orbe motuum, turbarum atque tumultuum, dominandi libido, amorque libertatis, quovis tempore produxerint. Pleraque etiam regna atque imperia à violentia exorta, vix aliud in suis primordiis fuisse quàm magna latrocinia; quibus, posthabita æquitate atque justitia, fortiores infirmiores oppresserunt. Nihil deinde permanere sub sole: attamen relucere ubique supremam omnipotentis Dei super omnia regna terrarum potestatem, qui transfert regna atque constituit, qui mutat tempora & ætates, ipse idem semper, semperque immobilis; longam interim caussarum seriem ita disponens, ut quæ temerè fieri videntur mortalibus, non nisi certa ac definita providentiæ ejus ordinatione contingant.

Inter has nihilominùs assiduas conversiones, Regnum unum elucet stabile & sempiternum, quia in *Veritate* fundatum; veritas autem *Domini manet in æternum*: quod quidem regnum hoc §. expendendum suscepimus.

Id olim prævidit, prædixitque *Daniel*, cùm explicationem *statuæ* Nabuchodonosoro per somnium demonstratæ (quæ tria portendebat imperia post Chaldæorum regnúm secutura) ita conclusit: * *In diebus regnorum illorum, suscitabit Deus Cæli* REGNUM, QUOD IN ÆTERNUM NON DISSIPABITUR, *& regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc: &* IPSUM STABIT IN ÆTERNUM. *Secundùm quod vidisti, quòd de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam & ferrum, & æs, & argentum; Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt posteà.* Res eadem, ut communior fert sententia, post annos aliquot, ipsimet *Danieli*, sub figuris quatuor animalium, quæ suprà paucis attigimus, divinitùs revelata fuit, quarum bestiarum potestas sensim destruenda: quæ autem *filio hominis* tradetur, æterna fore prædicitur. * *Aspiciebam*, inquit, *in visione noctis, & ecce cum nubibus Cæli quasi* FILIUS HOMINIS *veniebat, & usque ad* ANTIQUUM DIERUM *pervenit: & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem &* REGNUM; ET OMNES POPULI, TRIBUS, ET LINGUÆ IPSI SERVIENT: POTESTAS EJUS, POTESTAS ÆTERNA, QUÆ NON AUFERETUR, ET REGNUM EJUS QUOD NON CORRUMPETUR. Eodem pertinet quod paulo inferius à *Daniele* subnectitur: * *Regnum autem & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne Cælum, detur populo Sanctorum altissi-*

* Dan. 2. 44.

* Ibid. c. 7. 13.

* Ibid. ✝. 27.

altissimi; cujus regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges servient ei, & obedient.

Extra controversiam est apud plerosque * interpretes, hæc Danielis vaticinia, non ad aliud quàm *Christi regnum* referri posse. Sic autem intelligenda sunt. Comminuta & consumpta sunt à Christo universa regna hæc, quæ eum præcessura prænunciabantur, non evertendo quidem terrestrem eorum dominationem, quæ utique regno Christi, quod spirituale est, per se non erat contraria: sed dissipando diaboli imperium & idololatriam, quæ in regnis istis omnibus pervicaciter viguerat hactenus. Neque existimandum est, id uno eodemque tempore in omnibus simul regnis fieri debuisse; satis erat, ut per varia temporum intervalla, regnorum nunc hoc, nunc illud, Christo ejusque Ecclesiæ, quod ad spiritalem gubernationem attinet, subderetur; id quod reipsa vel jam inde factum est, vel certè ante sæculi finem fiet. Ex iis quippe quæ jam facta sunt, haud temerè conjectura fit de futuris, etsi aliunde certissima, qualis hic subest, prædictio non subesset. Quod *Isaias* * de Christi Ecclesia prænuntiavit: *Erunt reges nutritii tui: vultu in terram demisso adorabunt te, & lingent pulverem pedum tuorum*, id jam pridem evidenter impletum est. Impletur ergo & quod alibi adjunxit: * *Gens & regnum, quod non servierit tibi, peribit.*

* *Qui cum* Grotio *hæc ad Romanum Imperium referunt; solide, meo quidem judicio, refutantur ab* Huetio *demonstrat. Evangel. prop. IX. n. 4. pag. mihi 365.*

* *Cap.* 49. 23.

* *Cap.* 60. 12.

Quamvis autem quæ Daniel suprà memoratis locis vaticinatus est, ea, optimè congruant in Christi regnum, quod *primo ejus adventu* inchoatum, perque varia incrementa & decrementa usque ad mundi finem processurum est, negari tamen non potest, hæc eadem *glorioso Christi regno*, quod post *secun-*

dum ejus adventum inchoabitur, nonnulla ex parte perfectius convenire. Statuamus igitur ea jam tum impleri quidem cœpisse, tunc autem absolutè & perfectè complenda.

Lapis porrò iste *abscissus de monte sine manibus*, sine dubio CHRISTUS est, qui in scripturis * *lapis probatus*, pretiosus, in fundamento fundatus, lapis angularis, lapis offensionis & petra scandali, nominatur; lapis, in quem qui impegerit, confringetur; super quem verò ipse ceciderit, conteret eum. Percussit hic lapis statuam, eamque comminuit, quia destruxit dissipavitque *Idololatriam*, dissolvit errores hominum & vitia prostravit, veritate doctrinæ, Sanctitate vitæ, & multitudine ac magnitudine miraculorum, quæ tum per se, tum per sui cultores & sectatores patranda curavit. Ita juxta *Isaiæ* vaticinium: * *percussit terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficit impium*.

* *Isa.* 28. 16. *Psalm.* 117. 22. *Matth.* 21. 44.

* *Cap.* XI. 4.

Sine manibus lapis iste defectus est, id est, interprete *Hieronymo* ceterisque passim adstipulantibus, absque coitu & humano semine, de utero virginali. *Parvus* hic fuit ab initio in oculis hominum, & *Grano sinapis* meritò comparatus. *Crevit* post resurrectionem, & implevit totam terram fama & gloria nominis sui, quod mox undiquaque celebratum est. *Crevit* in corpore mystico, quod est Ecclesia, quam per universum orbem cernimus dilatatam, & *Scientia Dei* replevisse quaquaversùm omnia. Implevit terram odore virtutum ac sanctitatis: implevit prodigiis atque miraculis: implevit desiderio & expectatione bonorum cœlestium atque æternorum: implevit metu atque terrore futuri olim judicii: postremò implevit reverentia & veneratione non tantùm nominis sui, sed & Ecclesiæ sponsæ

suæ,

suæ, ejusque quem in terris reliquit Vicarii, cujus tanta est diffusio majestatis, ut ex noto ignotoque orbe, ad eum ceu centrum unitatis, fideique tutelam ac columen, undique concurratur, & jura ac leges sacrorum hinc petant; ipsi reges & principes adeant, & inclinentur, & obnoxia capita uni huic capiti submittant.

Quod ad posteriorem Danielis prophetiam attinet, qua prædicitur fore ut regno Christi *omnes populi*, *tribus*, *& linguæ* serviant, potestatemque ejus fore *æternam*, quæ non auferetur, & regnum ejus quod *non corrumpetur*, magna id ex parte jam inde impletum esse facile intelliget qui considerabit, nullum penè in orbe regnum esse, in quo fides & religio Christiana vel non floreat hodie, vel non ante hac aliquando floruerit. Adhuc Ecclesia Christi, dominatione spirituali cunctis mundi præcellit potestatibus, & in universum terrarum orbem habet Imperium. Adhuc ROMA caput mundi est, quodque non possidet armis, religione tenet. Hoc quoque regnum per se *incorruptibile* est, etsi aliquousque corruptioni subjaceat ratione subditorum, quos nunc plures habet, nunc pauciores, alios amittens, alios acquirens; at ipsum interim perstat in sæculum sæculi, quantumque in una quadam orbis parte diminuitur, tantum plerumque propagatur in altera: id quod & præcedentibus sæculis factum esse liquidò constat, & nostris temporibus contigisse manifestum est. Quantùm enimverò religio Christiana à *Mahometanis* aliisque, in hoc nostro orbe contracta & coangustata est, tantum atque eo ampliùs dilatata est in vastissima novi orbis continente, quam *Americam* dicimus, & in tot tan-

tisque Indiarum, Japoniæ, Sinarum provinciis, ad quas penultimo sæculo Evangelii prædicatio feliciter penetravit. Quin etiam in iis regionibus, in quibus vera religio à *Mahometis* sectatoribus, aliisve, Deo permittente, corrupta est, is saltem prædicationis Evangelicæ usque hodie effectus conspicitur, ut & *Idololatria destructa* permaneat, & *Christi* aliqua notitia, ejusdemque in animis hominum ingens veneratio perseveret.

Monarchias omnes, regnum hoc, sua jam inde *diuturnitate* transcendit, cùm earum nulla annos 1500. excessisse videatur: hoc verò, ut ne dicam ab orbis principio; annos certè 1700. jam steterit; stabit autem porrò usque ad consummationem sæculi. Non minùs iis omnibus præcellit *amplitudine ditionis* & dominationis; si quidem omnes ferè mundi regiones dominatu suo jam inde complexum fuit, nuncque etiam in utroque orbe, ac locis præsertim plurimis, quæ ne per famam quidem veteres satis cognoverant, latissimè viget, floretque. Vis quoque & *efficacitas* hujus Imperii ceteris omnibus in immensum supereminet, cùm ad mentes ipsas penetret, animosque constringat. Quanto etiam & *legum excellentia*, & *præstantia legis*, & *sublimitate finis* cetera omnia antecedit; cujus *res* HOMO DEUS est; *Leges*, suavissimæ, *finis*, vita æterna? Denique non crudelitate, aut alieni profusione sanguinis, non armorum vi, sed *humilitate*, *paupertate* & *tolerantia* Imperium hoc fundatum & propagatum est.

Priusquàm regnum hoc reipsa appareret in terris, quatuor ut minimùm annorum millibus prænunciatum, præfiguratum, & expectatum fuit, atque ea ratione dici potest, ab orbis initio, in sua saltem *imagine*, fuisse

fuisse inchoatum, totamque adeò aspectabilis hujus mundi durationem, non nisi unam seriem esse *regni Jesu Christi*, qui in divina prædestinatione primogenitus est omnis creaturæ, omniumque aliarum A & Ω, principium & finis, in se solo *recapitulans* tempora universa. JESUS CHRISTUS *heri & hodie, ipse & in sæcula*. Hujus ergo regni successionem, in serie veræ religionis, breviter exhibebimus. Heb: 13. 8.

Num. I. Series Religionis ab ADAMO *usque ad* MOSEM.

Videri potest Institutionum nostrarum p. I. Sect. I. Cap. VIII.

Cœpit veri Dei vera religio; ac proinde & *regnum Christi*, cum ipso mundi exordio. Insidiante ac persuadente diabolo justissimam Dei legem, eamque observatu facillimam, prævaricati fuerant primi homines ADAMUS & HEVA, seque ipsos unà cum omni posteritate sua in perniciem adduxerant. Actum erat de universo humano genere, totumque, æque ac *rebelles Angeli*, *irreparabiliter* periisset, nisi altiùs misertus Deus, decrevisset ei dare *redemptorem*, qui quod homo non poterat, dignam læsæ ejus justitiæ satisfactionem exhiberet. „ Deus ergo omnipotens & clemens, cujus natura boni- S. Leo serm. 2. de „ tas, cujus voluntas potentia, cujus opus Nat. Dom. „ misericordia est; statim ut nos diabolica „ malignitas veneno suæ mortificavit invi„ diæ, prædestinata renovandis mortalibus „ suæ pietatis remedia, inter ipsa mundi pri„ mordia præsignavit, denuntians serpenti, „ *futurum semen mulieris*, quod noxii capitis „ elationem sua virtute contereret, CHRI„ STUM scilicet in carne venturum, *Deum„ hominemque* signans, qui natus ex virgine

„ violatorem humanæ propaginis incorrupta „ nativitate damnaret. Ita incommutabilis Deus, cujus voluntas non potest sua benignitate privari, secreti dispensatione consilii, primam pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore complevit, ut homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret. Quem *promittere* dignatus est Deus, hunc Adami posteritas venturum credidit & expectavit. In *Sethi* progenie Messiæ fides, & sincera pietas perseverat. Hanc *Henoch*, *Lamech*, aliique in scripturis à fide & religione commendati conservarunt, eamdemque NOEMO divinæ justitiæ præconi & ministro, custodiendam porrò propagandamque tradiderunt.

A. M. 1656. ante Chr. 2348. Hic post DILUVIUM, novo orbi, qui totus ab eo sumebat originem, *depositum* sibi à patribus traditum, fideliter transmittendum curavit, quod *Semi* posteritas tenacius feliciusque retinuit. Multiplicantur homines, & insolescunt: Linguarum divortio confunduntur, & in varias orbis terræ partes dividuntur. Procedente tempore languescit sensim præteritæ ætatis memoria, plurimique mortalium Dei creatoris sui & indesinentis beneficentiæ ejus obliti, toti quoque sensibus immersi, ad IDOLOLATRIAM deficiunt. Obscuratur Veri Dei notitia, & mediatoris fides, at non extinguitur.

A. M. 2084. ante Chr. 1920. Vocat Deus ABRAHAMUM, ex quo nasciturum decreverat populum suo cultui, & expectationi Messiæ, præ ceteris terrarum populis destinatum. Hunc *patrem omnium credentium* designat; huic promissionem * renovat venturi Redemptoris, addens ex ejus illum semine nasciturum, omnesque per eum nationes orbis terrarum benedictionem

* *Gen. 22. 18. Confer. Gal. 3. 16.*

nem

nem esse consecuturas, id est, ad veri Dei sinceram cognitionem cultumque adducendas. *Isaaco* filio fidei & virtutis hæreditatem tradidit Abrahamus. Ille, cùm benedictione sua, filio *Iacobo*: Jacobus XII. filiis, totidem tribuum patriarchis, quibus ventura prænuntians, * Messiæ adventum, *tempusque* ejus disertissimè prænotavit. Ægyptum Dei nutu pater filiique pervenerant. Hic ducentis & * ampliùs annis, in medio nationis pravæ atque perversæ, veri Dei agnitionem & cultum, promissique Salvatoris fidem, eorum posteritas constantissimè retinet. Cùm vero singulari Dei munere, supra modum Israelitarum excresceret numerus, hos, ne nimium invalescerent, Ægyptii vehementer oppresserunt. Clamant ad Dominum Deum patrum suorum: exaudiuntur: & post mira prodigia, quibus Dei, quem colebant, veritas & omnipotentia probaretur, Duce MOSE è servitute liberantur, eductisque trans mare Rubrum, quod sicco vestigio transierunt, *divina lex* è monte Sinai promulgatur.

* Gen. 49. 10. & 18.

* 215.

Num. II. Series Religionis à MOSE *usque ad* CAPTIVITATEM BABYLONICAM.

Hactenus *naturali lege*, quæ in cordibus hominum scripta est, ac nonnullis à patribus acceptis *traditionibus*, vera religio steterat.

Lex scripta nunc additur, quæ & *naturalem* humana perversitate non modica ex parte obductam ac penè obliteratam, hominum conspectui reproduceret; & instar pædagogi ad *Christum* deduceret, observantiis & cæremoniis suis omnibus *Messiam* præfigurans, omnia enim verò * *in figura*, veteri isti populo con-

Confer Instit. p. I. Sect. I. Cap. IX. & X.

A. M. 2513. ante Chr. 1491. I.

* I. Cant. 10. 11.

contigerunt, & sub sensibilium rituum velamine, quæ ad *Jesum Christum* ejusque Ecclesiam pertinent, prænuntiabantur. Id licet *Carnales* Judæi non intellexerint, intellexerunt tamen qui inter eos fuere *spirituales*. Ille idem *Moses*, antiqui fœderis minister & præco, novi fœderis auctorem ac legislatorem *Christum* servatorem, & venturum prædixit, * & audiri jussit, interitu denuntiato inobedientibus atque incredulis. Ceterùm Hebræus ille populus ex Ægypto in desertum eductus, properansque in terram patribus olim suis divinitus repromissam, Deum liberatorem suum sæpenumero irritavit, revocatus tamen identidem, & divina clementia conservatus, post XL. annorum peregrinationem, in Chanaanitidis possessionem inductus est per JOSUE, qui & nomine & rebus gestis apertissimum typum gessit *Jesu Christi* Redemptoris, cujus opera & meritis, post vitæ hujus peregrinationem, ad cœlestis patriæ possessionem, (quam lex Mosaica *per se* præstare non potuit) introducendi sumus.

* *Deut.* 18. 15. & *seqq.* & *cap.* 28. *Confer. Johan.* 5. 46.

Ann. M. 2554. *ante Chr.* 1450

In Palestinam Israelitæ jam inducti, suasque tributim sortiti possessiones, post mortem *Josue* & *seniorum*, qui ab illius decessu longo vixerunt tempore, religionem quidem fidemque liberatoris conservarunt, sed paulatim oblivisci cœperunt, cujus munificentia fœcundas illas Chananæorum regiones possiderent; ergo Deo patrum suorum posthabito, ad idola gentium magno identidem numero deflexerunt. At ne penitus aberrarent, pœna confestim secuta est. Traduntur in servitutem, ut suis malis pressi & ab iis victi quos vicerant, clamarent & reverterentur ad Dominum, quem dereliquerant.

rant. Misertus eorum Deus, per Judices, quos iis libertatis vindices destinavit, *sæpè liberavit eos*, multique semper, temporibus etiam corruptissimis, in unius veri Dei cultu, & redemptoris præstolatione, *manifesta successione* perseveraverunt.

Ad *statum regium* Hebræorum natione translata, mirificè Religio floruit sub David, & sub initia *Salomonis*. Vir erat David *secundùm cor Dei*, tantamque apud eum gratiam iniit, ut illi venturi *Messiæ*, & quidem ex ejus progenie nascituri, promissio renovata, & pleræque vitæ, passionis, mortis, resurrectionis, ascensionis, æternique *Christi* Sacerdotii circumstantiæ divinitùs fuerint revelatæ, quas ille in suavissimis * *Psalmis* suis, Prophetico spiritu, posteritati commendavit. Salomon rex pacificus, sapientiæ fama latiùs quàm armorum potestate dominans, pacifici sapientissimique regis Christi immensam potentiam præsignavit, sed infatuatus tandem amore mulierum, multos è populo, exemplo suo pervertit, caussamque præbuit, cur sub *Roboamo*, filio ejus, regnum & religio bifariam scinderentur. Erecti *Vituli aurei* à Jeroboamo, unà cum tristissimo *schismate*, quod consilio politico * in communem perniciem invexerat, in novo *regno Israel*, sub XX. quos habuit regibus, annis 254. persliterunt, donec per Assyrios regnum deletum, decemque tribus per Salmanasarum in captivitatem abductæ sunt, numquam ultrà ad pristina redituræ. Multi tamen veri Dei cultores hisce schismaticis atque idololatris admixti semper fuere, nec deerant Prophetæ, qui Israelitas ad pœnitentiam revocarent, quos Deus destinabat præcones majestatis suæ, & correctores pravitatis huma-

Ann. M. 2924. ante Chr. 1080.

* *Psal. II. XXI. XLIV. XLVI. LXVIII. LXXII. CIX. CXVII. CXXXI. &c.*

* *Id quod novum, quã ex Christianis aliqui infeliciter imitati sunt.*

Ante Chr. 721.

manæ. Cum iis non exigua populi multitudo, etiam in X. tribubus jam separatis, temporibusque maximè nubilosis, qualia *Eliæ & Elizæi* tempora fuerunt, in aperta veræ religionis professione permanebat.

Vide 3. Reg. 19. 18. Rom. XI. 3. & 4.

At interea *regnum Juda* consequenti serie in veri Dei agnitione cultuque perseverat, & complures habuit reges, excellenti pietate ac religione præditos. Magna nihilominus & hìc impietas identidem admixta fuit, præcipuè sub regibus *Achaz* & *Manasse*, quorum hic *peccare fecit Judam in immunditiis suis, ut faceret malum coram Domino, insuper & sanguinem innoxium fudit multum nimis* (eorum utique qui desperatissimis hisce temporibus Deo fideles permanserunt) *donec impleret Jerusalem usque ad os*. In tot tantarumque abominationum vindictam, paulo post mortem Manassis, qui in captivitate resipuerat, annisque circiter CXXX. post regnum Israel abductum, residuæ quoque tribus *Juda* & *Beniamin*, urbe temploque incensis, in Babylonicam captivitatem abierunt; sed, ut constaret firmam & immobilem esse Dei promissionem, intra LXX. annos ab ejus exordio sub rege *Joakimo* repetendo, pristinæ libertati, per *Cyrum* Persarum regem, restituendæ. *Prophetarum* (a) quædam series atque successio ad id usque tempus, in eo regno ferè perennis fuit, in quibus, una cum populo iis adhærente manifesta & spectabilis semper fuit veræ religionis & regni Christi series atque successio. Impios & Idololatras acerrimè increpabant, peccatores ad pœnitentiam

4. Reg. 21. 11. & 16. 2. Parai. 33.

Ante Chr. 588.

(a) *Quos misit Dominus* consurgens diluculo, *id est, vigilanter & summo studio, quod enim studiosè agimus, summo mane agimus. Vide Jerem. VII 13. XI. 7. XXV. 3. 4. XXVI. 5. XXIX. 19. XXXV. 14. 15.*

tentiam revocabant, justos confirmabant, ventura prædicebant, ac res sæpè vicinas, quas populus suo etiam tempore visurus erat impleri: patebatque hoc ipso divinitus eos esse inspiratos, quò indubitata quoque fides haberetur aliis eorum vaticiniis, quibus MESSIAM ejusque mysteria prænuntiabant. Hunc *ex Virgine* nasciturum *Bethlehemi*, innumera *miracula*, in miserorum præsertim subsidium, patraturum, *à suis* respuendum, morte turpissima damnandum, *occidendum*, & tertia die *resurrecturum*; abjecta *natione Judæorum*, omnes *gentes* ad veri Dei cultum adducturum; novum denique fœdus, *legem novam*, novum *æternumque sacerdotium fundaturum*, (*a*) verbis apertissimis prædixerunt, designantes etiam definitum tempus *LXX. hebdomadarum*, intra quas harum prædictionum præcipuæ complerentur. Ita *Prophetæ*, præcipui fuere iis temporibus religionis vindices & custodes.

Num. III. *Series Religionis à* CAPTIVITATE BABYLONICA *usque ad* CHRISTUM.

Populus Judæus in Captivitate Babylonica, malis suis eruditus, suaque experientia edoctus quam vera fuissent prophetarum oracula, quibus divina isthæc castigatio prænuntia- *A. M. 3466. ante Chr. 538.*

(*a*) *Hæc omnia, aliaque hujusmodi plurima, solidè demonstrata reperies in* Demonstratione Euangelica *Huetii. Juvabit ut ex innumeris hos saltem textus lector expendat.* Malach. 3. 1. Isa. 9. 6. Mich. 5. 2. Isai. 35. 4. c. 53. *per totum* c. 6. 9 c. 42. 6. c. 55. 1. c. 8. 14. c. 28. 16. c. 60. 10. Psalm. 117. 22. Dan. 2. 35. Zach. 9. 9. & c. 11. 12. Psalm. 21. 18. Psalm. 68. 22. Psal. 15. 10. Psalm 109. 1. 2. 7. Psalm. 2. 2. Oseæ 6. 3. Jerem. 31. 3. 6. Ezech. 34. 23. Oseæ 3. 4.

nuntiabatur, recordatus est Dei sui, & *Idololatriam* ita deinceps respuit, ut ad eam postquam *restitutus est libertati*, non legatur ultrà *sua sponte* prolapsus. Templum XX. annis post reditum instauratur: muri Jerusalem annis posthac LX. ita ut ob multiplices à vicinis gentibus, *Samaritanis* præcipuè, disturbationes & interruptiones, anni ferè LXXX. toti reædificationis operi impensi fuerint.

Vide suprà pag. 97. Sub Persarum interim Imperio, à summo sacerdote magnoque LXXII. seniorum concilio, in modum Reipublicæ, regebantur. Transactis eo in statu annis paulo plus ducentis, sub *Jaddo* pontifice ab *Alexandro* Macedone, Persarum jam bis victore, in fidem accepti sunt. Eo brevi post extincto, sub regibus *Ægypti* & *Syriæ*, quibus alternatim parere coacti sunt, vehementer afflicti, emerserunt tamen, creverunt, & in exteras regiones (eo præsertim tempore quo Syriæ regnum tenuit *Antiochus Magnus*, annis ante Christum circiter ducentis) longè latèque diffusi sunt. Ita factum ut libri sacri, qui paulo ante, singulari Dei providentia, in sermonem Græcum, latissimè tunc vigentem, conversi fuerant, quaquaversùm deferrentur, quo veri Dei cognitio longiùs proferretur, & ad JESU CHRISTI adventum, qui non procul aberat, mortalium animi præpararentur.

Ann. M. 3836. ante Chr. 168. Sub Antiochi Magni filio *Epiphane* procella adversùs populum Dei exorta est præ ceteris omnibus terribilior. Religionem ritusque eorum patrios evertere is aggressus est, qua occasione & Judæorum multi trucidati sunt, & *Eleazarus*, septemque cum matre juvenes *Machabæi*, pro Deo & lege patria fortissimè mortui, martyribus * Ecclesiæ annumerari merue-

**Vide Martyrolog. 1. Aug.*

meruerunt. Ceterùm formidanda hæc persecutio, novo Judæorum regno, majorique quam antehac splendori, occasionem dedit. Omnia eorum privilegia, quæ à *Persis* olim concessa, & ab *Alexandro* dein confirmata fuerant, apertissimè violata; *Religio* insuper, quæ certo adhuc populo & regioni ferè erat alligata, in extremum discrimen adducta; accedente certissima Dei inspiratione, ad justam eos defensionem adegerunt. Emergunt itaque sub ducibus *Asmonæis*, avitæ religionis zelatoribus: quin *Regis* quoque nomen & insignia eorum sibi posteritas vindicavit, Quamquam plena eorum libertas à ducatu *Simonis*, usque ad Hierosolyma à Pompejo expugnata, annorum tantùm fuerit octoginta. Afflictæ admodum exin fuere res eorum, vigentibus bellis Romanorum *Civilibus*, & augescente potentia *Parthorum*. Præter assiduas à tot tantisque exercitibus deprædationes, incursiones Arabum universa vastabant. Sub HERODE, qui inter fraterna Asmonæorum dissidia, regiam sibi dignitatem a Romanis extorserat, partim Judæi respirant, partim vehementiùs affliguntur & pessumdantur. Destruitur successio sacerdotalis, advocato è Babylone *Ananelo*, cui ablatum ab Asmonæis pontificatum Herodes detulit, à cujus deinceps nutu supremi sacerdotii dignitas pendere cœpit. Ablatum erat sceptrum à *Juda*, translatum ad *alienigenam*, nec Judæ ultrà restituendum; advenerat igitur *plenitudo temporis*: adest *Messias*. Regnante Herode nascitur Bethlehemi. Cedunt umbræ, imago desinit, substituitur veritas.

Num.

Num. IV. *Series Religionis*, *ab* ADVENTU CHRISTI *usque ad* PACEM ECCLESIÆ *redditam per* CONSTANTINUM.

Lex illa *vetus*, nondum inscripta cordibus, sed lapidibus, sancta quidem fuit, justaque & utilis: sed quæ ad tempus tantùm correctionis imposita, *nihil ad perfectum* adducere *per se* potuit. Ubi ergo advenit *plenitudo temporis*, quam occulti dispositione consilii destinaverat Deus, Christusque *Deus Homo* in carne mortali in terris visus & cum hominibus conversatus est, *Nova* ab eo instituta est *Lex*, quæ *Gratiam* & *Veritatem* continens, non ad unum jam populum, sed ad universas orbis nationes pertineret, quibus idcirco per *Apostolos* eorumque discipulos & successores toto orbe promulgata est.

Cùm juxta prædictiones omnium prophetarum, designato tempore & loco, *in propria* venisset tot retrò sæculis expectatus *Messias* cùm missionem suam inauditis antehac prodigiis, & innumerabilibus beneficentiæ signis atque miraculis, veluti quibusdam divinæ *omnipotentiæ sigillis*, confirmasset (id quod nec ipsi ejus inimici negare potuerunt) sui nihilominùs *eum non receperunt*, sed quasi multa febre phrenetici insanierunt in medicum, qui eos curaturus advenerat. Ita & in hac parte * *Isaiæ*, *Danielis*, & aliorum prophetarum vaticinia compleri oportebat, fore scilicet ut justo Dei Judicio Judæorum natio ob suam pervicaciam rejiceretur, locumque cederet, donec plenitudo gentium intraret. Negatùr ergo & damnatur à suis CHRISTUS, desinitque Israel esse populus Dei; deficit synagoga, cujus auctoritatem adhuc sub-

* *Isai.6 9. & seqq. Dan.9.26.*

subsistentem, in Ecclesiam à se fundatam, suprema quam ei pater contulerat potestate, Jesus paulo antè transtulerat. Hæc illa est stultitia prædicationis, prophetis dudum antè præcognita, per quam Deo placuit salvos facere credentes. * „ Nam quoniam is qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus, & ceteris altior; Crux „ potiùs electa est, quæ significaret illum, „ tam conspicuum tamque sublimem futurum, ut ad eum cognoscendum pariter & „ colendum cunctæ nationes ex omni orbe „ concurrerent.

* Lactant. *l. 4. Instit. c. 26.*

Incarnata ergo veritas, innocentia, justitia, sanctitas, pro salute hominum ab hominibus reprobatur, & ignominiosissima morte mulctatur. Manus pedesque confossi clavis figuntur cruci. Omnes videntes eum, deriserunt eum; locuti sunt labiis, moverunt caput, atque dixerunt: Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum. Diviserunt sibi vestimenta ejus, & super vestem ejus emiserunt sortem. Dederunt in escam ejus fel; in siti sua potatus est aceto. Cum sceleratis reputatus est, sicut ovis ad occisionem ductus est, quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Oblatus est quia ipse voluit, posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum: vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra: Hæc omnia, quæ prophetarum verbis à nobis expressa sunt, pluraque alia hujusmodi, quæ brevitatis causa præterimus, multis priusquam fierent sæculis, ab iis prænuntiata sunt, ut ubi contigisset, faciliùs crederentur, omnis-

que

que excusationis umbra tolleretur futuræ aliquando incredulitati.

Ceterùm lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, omnes in se populos in unum spirituale ædificium conjuncturus. *Resurgit* tertia die, uti non semel prædixerat, *Jonas*que, olim è ventre ceti tertia die vivus ejectus in littus, adumbraverat, quadraginta dierum spatio, hæsitantes, fluctuantes, incredulosque discipulorum animos ita de resurrectionis suæ veritate convincit, ut ad unum omnes paratissimi deinceps fuerint eamdem veritatem inter acerbissimos cruciatus profiteri, suoque sanguine consignare. Hanc ubique prædicarunt; hanc innumeris miraculis confirmarunt; hæc toto orbe credita est; quod si sine miraculis factum esset, majus omnibus in hoc ipso miraculum foret. Post XL. dies, JESUS CHRISTUS, completo redemptionis nostræ mysterio, sacram humanitatem suam in cœlum invehit, pollicitus tamen adfuturum se Ecclesiæ, quam fundaverat, *omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. Nulla interruptio, nulla unquam defectio. Mittit post X. dies *Spiritum Sanctum* quem promiserat, qui Apostolos ceterosque discipulos in novos homines transformavit; donis linguarum & miraculorum instruxit, divinaque virtute solidatos, idoneos reddidit qui omnibus mundi hujus potestatibus novum belli genus indicerent; *Christique regnum*, non pugnando, sed patiendo; neque alieni, sed sui sanguinis profusione, toto orbe propagarent. Ita à pauculis hominibus, iisque illiteratis, & omnibus sæculi hujus præsidiis destitutis, inter vehementissimas omnium mundi potestatum per annos ferè trecentos

persecutiones, religio *nova* (etsi aliunde mundo coæva) naturalis luminis rationes omnes transcendens, inveteratæ superstitioni cunctisque hominum cupiditatibus è diametro repugnans, exiguo tempore toto orbe diffusa & propagata est. Inter hæc „ beatissimus „ PETRUS princeps Apostolici ordinis ad „ arcem Romani destinatur Imperii, ut lux „ veritatis, quæ in omnium gentium revela- „ batur salutem, efficacius se ab ipso capite, „ per totum mundi corpus effunderet. Cu- „ jus autem nationis homines in hac tunc „ urbe non essent: aut quæ usquam gentes „ ignorarent quod Roma didicisset? hic con- „ culcandæ philosophiæ opiniones, hic di- „ luendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, „ hic confutandi dæmonum cultus, hic om- „ nium sacrilegiorum impietas destruenda, „ ubi diligentissima superstitione habebatur „ collectum quidquid usquam fuerat vanis „ erroribus institutum. „ Hic itaque *Petrus* superni dispositione consilii sedem fixit, ut Roma quæ caput orbis effecta fuerat dominatione terrena; arx religionis, centrum unitatis, ceterarumque Ecclesiarum mater fieret & magistra. Felix sanè Ecclesia, * cui totam doctrinam *Apostoli* cum sanguine suo profuderunt. Hic Apostolicæ successionis ordo perpetuus, & series numquam interrupta perdurat, quam alibi frustrà quæsieris.

S. Leo *serm. 1. de Apost. Pet. & Paul.*

* Tertull. *præscript. adv. hæret. c.* 36.

Adversùs novum hoc *Christi regnum* frustrà conspiraverunt *portæ inferi*, frustrà conati sunt in ejus illud incunabulis suffocare. Frustrà adhibita tormenta, exquisita supplicia, frustrà *Petrus & Paulus*, alter gladio, alter cruce sublati. Frustrà fuit *Neronis* adversùs Christianos crudelitas, cùm pereuntibus (ut auctor est * *Tacitus*) addita ludibria, ut

* *Lib. XV. Annal. pag. mihi* 313.

ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi: atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Vana utique erat S. Leo *ibid.* „ ista persuasio „ quasi per Sanctorum neces gratia Dei posset extingui: cujus hoc „ ipsum erat maximum lucrum, ut contemptus vitæ hujus occiduæ, perceptio fieret „ felicitatis æternæ. Pretiosa ergo in conspectu Domini mors Sanctorum ejus: nec „ ullo crudelitatis genere destrui potest Sacramento Crucis Christi fundata religio. „ Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed „ augetur: & semper Dominicus ager segete „ ditiori vestitur, dum grana, quæ singula „ cadunt, multiplicata nascuntur. „ Patuit hoc luculentè cùm inter assiduas ferè trecentorum annorum persecutiones, Ecclesia Christi usque adeo invaluit, ut jam tum sæculo tertio per totum penè orbem terrarum fuerit dilatata. Vix tamen erat ut Christiani interim aliquantulùm respirarent, cùm *persecutio*, (*a*) sive per edicta principum; sive auctoritate legum Romanarum, quibus peregrina quælibet religio vetabatur; sive ex privatis odiis præsidum provinciarum; sive ex solis populi clamoribus, vix unquam in totum intermitteretur. Habebantur vulgo Christiani, ut *genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ* (SUETONII verba sunt) item, homines non modò flagitiosi, sed *odio generis humani convicti*, quo eos elogio *Tacitus*

(*a*) *Præcipuas* persecutiones *ordine temporis enumeratas invenies suprà, pag.* 18. 19. *&* 20. *Item pag.* 157. *& seqq. Vide etiam* Institut. *p.* 1. *sect.* 1. *Cap. XXVI. q.* 7. *de his videri potest* Cl. Florus, *Tract. de moribus Christ. Gallice. Item* Ruinartius *præfat. ad Acta Mart. sincera & selecta.*

citus honoravit. Paulo post infanticidiorum & incestuum, quos in suis antelucanis conventibus exercerent, accusati & rei crediti; quas calumnias Judæi non illibenter promovebant. Nonnullis quoque occasionem dabant *Gnostici*, primorum temporum hæretici, homines revera impurissimi, quorum infamia in omnes Christianos judicio gentilium redundabat. Adde quod Christiani, qui omnem idololatriam detestabantur, defugerent sacrificia, quæ pro Imperatorum incolumitate immolabantur; quòd spectacula, ludosque publicos, ob idololatriæ contaminationem, declinarent; quòd à communi lætitia, à festivitatibus, à conviviis abhorrerent, vitamque solitariam adamarent; quocirca qui inter gentiles prudentiores magisve politici videbantur, periculosum ac noxium genus hominum esse arbitrabantur, consultumque adeò fore, ut, ad vitandas Reip. divisiones, è medio tollerentur. Accedebant his privata odia, & magistratuum avaritia; Philosophorum fastus, sacrificorum denique magorumque invidia; quæ simul omnia dum attentè pensantur, res admiratione dignissima est, qui fieri potuerit, ut tot in omnibus passim provinciis reperirentur homines, qui Christianismum tanto studio amplecti vellent, religionem non solum novam & peregrinam, sed quæ præter vitæ austerioris genus quod præscribit, cultores quoque suos bonorum proscriptionibus, exiliis, parentum & amicorum, totiusque adeò humani generis odiis objiceret, carceribus, cruciatibusque atrocissimis, ac ipsi denique morti obnoxios redderet. Videri sanè poterat humanæ rationi parum consentaneus hic dilatandæ religionis modus, sed vel ideo hunc præ cete-

K 2 ris

ris elegit Christus, qui ipse non nisi patiendo & moriendo Patris gloriam adire voluit. Hanc partem suam esse noverant primi Christiani, ut patiendo & moriendo triumpharent. Hac conditione fiebant Christiani, ac

Tertull. Apologet. c. 5. *Tertulliano* teste, magis damnati quam absoluti gaudebant. Cruciate, inquiebant, torquete, damnate, atterite nos ... plures efficimur quoties metimur à vobis. *Semen est sanguis Christianorum*. Animabat eos Christus, pro quo dimicabant; invisibiliter semper aderat: nonnumquam & visibiliter. Hinc eximia illa animi fortitudo, & stupenda in cruciatibus perferendis tolerantia; contemptus vitæ hujus, desiderium æternæ. Hæc unà cum miraculis omnem naturæ vim transcendentibus, quæ per servos suos Dominus crebrò patranda curabat, obstinatorum quoque animos, ut divinum aliquid hìc agnoscerent, permovebant. Ita Christus non modò in seipso, sed & in corpore suo mystico, est * *Granum* illud FRUMENTI, *quod nisi cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Crescebant ergo in dies Christiani, & jam tum sub initium sæculi

* Joan. 12. 24.

Ibid. c. 37. tertii, ingentem eorum multitudinem in argumentum innocentiæ adferebat *Tertullianus*; quippe non solùm eos bello cuilibet pares fore, si arma sumere vellent: sed inermes etiam Reipublicæ plurimùm esse nocituros, si modo secessionem facerent: ita nempe Romanum Imperium ad magnam solitudinem ac vastitatem esse redigendum. Excrevit idem ille numerus longè ampliùs currente sæculo tertio; sed excrevit & numerus *Martyrum* sub *Decio*, *Valeriano*, ac præsertim sub *Diocletiano* & *Maximiano*; de qua carni-

hisicina, quæ, instigante *Galerio*, variis gradibus ad extrema quæque pervenerat, sic ait *Lactantius* *: „ vexabatur ergo univer-
„ sa terra, & *præter Gallias*, * ab Oriente
„ usque ad Occasum tres * acerbissimæ be-
„ stiæ sæviebant. Non mihi si linguæ cen-
„ tum sint, oraque centum, ferrea vox,
„ omnes scelerum comprehendere formas,
„ omnia pœnarum percurrere nomina possem,
„ quæ judices per provincias justis atque in-
„ nocentibus intulerunt. „ Concludere fas est, Ecclesiam Catholicam rectissimè ab Augustino *Martyrum matrem* fuisse nuncupatam: *millia Martyrum* * nostrorum ab eodem meritò fuisse objecta Manichæis: * *Legiones Martyrum*; * *Innumerabiles* denique martyres rectè eum dicere consuevisse. „ Totum mundum,
„ ajebat * *S. Gregorius* P. fratres, aspicite;
„ *Martyribus plenus* est. Jam penè tot qui
„ videamus, non sumus, quot *virtutis testes*
„ habemus. Deo ergo numerabiles, nobis
„ super arenam multiplicati sunt: quia quan-
„ ti sunt, à nobis comprehendi non possunt. „ Quàm justa ergo est Ecclesiæ Catholicæ gloriatio, quod eam fidem religionemque profiteatur, quæ innumerabilium testium sanguine consignata sit? Quanti periculi res est, si post prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem quasi novellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces in errore permaneas, & post morientium sudores, otiosa disputatione contendas, quàm veneranda nobis, est in Sanctorum Martyrum gloria *fides nostra*, quæ tot tantisque procellis everti non potuit?

* *De morte persecutor. c. 16.*

* *His præerat* Constantius Clorus, *qui à Christianorum cædibus abhorrebat.*

* *Dioclerianus, Maximianus & Galerius.*

* *Contra Faust. lib. 6.*

* *Serm. 312.*

* *Tract. 113. in Joh.*

* *Hom. 27. in Evang.*

Vide S. Ambros. *serm. de S. Nazario & Celso.*

Et verò præter persecutiones ETHNICORUM, quibuscum nascentem & adolescen-

tem Ecclesiam conflictari oportuit, mox ab initio aliud adversariorum genus eis suscitarunt Tartareæ potestates, innumerabiles ferè (a) HÆRESES atque hæreticos: quibus ex ejus sinu plurimi in dies in errorum & schismatum diverticula trahebantur, & non secus ac rami ab arbore vellebantur: tum etiam eo-

(a) *Harum aliquas recensitas invenies* Institutionum *nostrarum p. 1. sect. 1. c. 3. q. 4. sed hic primorum sæculorum hæreses, juxta ordinem temporis, paulo distinctius proferemus.*

Simon Magus, *ceterorum patriarcha. Pertinet ad annum Christi* 34.

Cerinthiani & Ebionitæ, *Judæi magis quàm Christiani, errores suos disseminant in Asia, circa ann.* 66. *aut paulo post.*

Menander *Simonis discipulus, prodit Antiochiæ circ. an.* 74.

Nicolaitæ *iisdem coætanei.*

Cainistæ *circa an.* 100.

Elxai *pseudopropheta sub Trajano, nomen suum dedit sectæ Judæorum Ossoniorum.* 114.

Saturninus *Antiochiæ.* Basilides *paulo post Alexandriæ. Moritur juxta* Hieron. *an.* 133.

Carpocrates, *qui* Gnosticorum *antesignanus poni solet (licet alii* Basilidem, *alii* Valentinum *eorum principem fuisse velint) inchoare potuit circa annum* 130.

Ceterum superbo hoc Gnosticorum *titulo, spurcissimum hæreticorum genus, populo se venditabat: ab exacta nimirum rerum omnium γνώσει, id est,* Scientia, *quam præ ceteris mortalibus se habere jactabant. Neque uni tantùm sectæ, sed plerisque illorum temporum hæreticis nomen illud commune fuit; eademque spurcitiæ lues, subsequentibus sæculis identidem aliqua ex parte revixit in veterib. novisque* Manichæis, *in* Priscillianistis, *in* Fratricellis, Beguardis, *atque* Beguinis, *in* Turrelupinis; *sæculo etiam præcedenti, in* Illuminatis, *ac novissimè in* Quietistis.

Valentinus & Cerdon *Romam veniunt sub* Hygino, *circ. an.* 140. *prior m. circ.* 160.

Marcion *excommunicatus à patre suo, qui in Ponto erat Episcopus, post Hygini mortem Romam venit, ubi à communione repulsus,* Cerdoni *se adjunxit. A.* 142.

eorumdem infamia, seu morum, seu doctrinæ, universa apud hostes suos Christi religio laborabat. Ita *tentari* * suos sinebat Deus, ut palam fieret utrum diligerent eum an non, in toto corde & in tota anima sua. Quæ tentatio eo sæpe formidolosior fuit, quo probabiliores erant *Magistri*, qui ab integritate & simplicitate fidei ad vaniloquia profanasque

* *Deut.* 13. 3.

Marcionitarum secta sub id tempus inchoata, exiguo temporis spatio non parum propagata est.

Ophitæ *circ. an.* 150.

Marcus *&* Corlabasus. *Item* Antitacti. 170.

Tatianus *orditur hæresim* Encratitarum *in Mesopotamia circ. A.* 171.

Eodem circiter tempore incipit hæresis Montanistarum *in Phrygia, unde* Cathaphryges *dicti. Coætanei sunt* Adamitæ, *sive* Prodiciani. *Paulo post* Alogi.

Bardesanes *in Mesopotamia celebris, ab ingenio, scriptis, & hæresi circ. A.* 172.

Theodotus *Coriarius Byzantinus, apostata, fideique postea impugnator.* 177.

Hermogenes *auctor materiæ increatæ.* 178.

Apelles *Marcionita, post hæresiarcha.* 180.

Marcus *auctor Marcosianorum in Gallia ad Rhodanum.* 180.

~~Florinus~~ *~~&~~* Blastus *presbyteri Rom. quorum alter hæreticus, alter schismaticus tempore Commodi Imper.* 185.

Seleucus *&* Hermias *hæretici in Galatia.* 190. *ad idem tempus pertinet* Artemas, *sive* Artemon *discipulus Theodori Coriarii, qui postea separatam ab eo sectam instituit.*

Archontici 202. *horum errorem ex Palæstina allatum ann.* 361. *in Armenia minori disseminavit* Eutactus.

Praxeas *Romæ inchoat hæresim* Patripassianorum *adversus Trinitatem Personarum, circ.* 201 *Errorem detegit Tertullianus, & auctorem adigit ad palinodiam.*

Tertullianus *Carthaginensis presbyter, hactenus defensor Ecclesiæ, quam egregiis scriptis, tamquam invictissimis propugnaculis, contra omnium hostium incursus muniverat, ab eadem circa annum* 203. *tre-*

nasque vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ declinabant. TERTULLIANI, ORIGENIS, PHOTINI, APOLLINARIS, & NESTORII exempla in hanc rem usurpat, rectèque applicat *Vincentius Lirinensis*; quibus præter multos alios, TATIANUS & BARDESANES, ac fortassis etiam

mendo doctis omnibus exemplo, defecit, & falsa severioris disciplinæ specie delusus, in Montani *castra transivit: ipsaque insana* Priscillæ *&* Maximillæ, *insanarum mulierum somnia, pro veris prophetiis, amplecti non erubuit. His tamen posteà desertis, sectam sibi propriam instituit Carthagine sub an circ.* 235. *ut statuit* Tillemontius, *qui eum mortuum putat circ. A.* 245. *nos verò supra, pag.* 24. Labbæum *secuti, mortem ejus assignavimus anno circ.* 216.

Ad idem fere tempus pertinet celeberrimus Origenes *Alexandrinus & ipse presbyter*, Adamantinus *dictus: sicut autem apud Latinos*, *Tertullianus acumine ingenii & eloquentia omnium facile princeps est habitus, ita hic apud Græcos, fuitque adeò & ipse magna in Ecclesia* tentatio, *quando hanc „ dediram „ sibi, atque à se pendentem admiratione ingenii, „ scientia, eloquentia, conversationis & gratia (ver„ ba sunt Vincentii Lirinensis) nihil de se suspican„ tem, nihil se verentem, subito à veteri religione in „ novam profanitatem, sensim paulatimque traducere „ deprehensus est. Sed sæculis V. & VI. præcipuè ab ejus doctrina motus in Ecclesia excitati sunt. m.* 254. *Æt.* 69.

Noetus *Hæresiarcha, Ephesi prodiit circ. A.* 220.

Valesiani. 239.

Novatiani *schisma & hæresis.* 251.

Hæresis Sabelliana *incipit in Lybia.* 255.

Paulus Samosatenus, *Episcopus Antiochenus, homo prorsus vanissimus, in hæresim incidit sub an.* 263. *deponitur* 270. *pelliturque annuente Aureliano Imp. an.* 272.

Manes *sive* Manichæus *sectam suam sub Aureliano exorsus est, circ.* 270. *jussu Saporis regis Persarum vivus excoriatus est an.* 278.

Hieracitæ *incipiunt* 290.

Schisma Meletii *in Ægypto.* 306.

Donatistæ 306.

iam aliqui ultimorum temporum, haud immeritò adjungi possent. Ceterùm omnipotens Deus qui ex malis, quæ permittit, majora novit bona elicere, hæc ipsa diligentibus se, totoque corde quærentibus convertit in bonum, cunctisque sæculis spectabilis fuit frumentorum gravitas, & levitas palearum; nam sine magno molimine excussum est ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur: contra verò, qui *probati* erant, manifesti facti sunt; & crescente pastorum vigilantia, Christianæ fidei veritas majorem accepit lucem, moresque fidelium majorem puritatem. Quod igitur fidei nostræ auctor & consummator Jesus Ecclesiæ suæ pollicitus fuerat, id quovis sæculo confirmatum est: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Inter omnes ventos & procellas, *granum sinapis* excrevit in arborem, in cujus tandem ramis volucres cœli, id est, reges & principes, unà cum suis populis, nidificarent.

Num. V. Series Religionis, à CONSTANTINO *M. usque ad tempora* MAHOMEDIS.

Postquam CONSTANTINUS Imperator palàm amplexus est Christi fidem, quam decessores ejus *Diocletianus* & *Maximianus* delere funditus constituerant, & jam tum à se deletam stultissima sibi vanitate persuaserant; mirum est, quantùm illicò ubique terrarum invaluerit religio Christiana. Transacta hyeme & imbre remoto, florentissima hæc Christi * *Vinea* quaquaversum dispersit odorem suum. *Mons* * ille domus Domini præparatus in vertice montium, & elevatus super colles, totoque adeò orbe conspicuus, omnes ad se populos evocabat, qui certatim undi-

A. 312.

* *Cant. 2. 13.*

* *Isai. 2. 2.*

undique accurrebant, ut discerent vias Domini & ambularent in semitis ejus. Tunc pax Ecclesiæ reddita est, & sub principe Christiano libertatem atque exemplum fidei mundus accepit. Miratur * & dilatatur cor ejus, cùm videt conversam ad se esse multitudinem maris, & fortitudinem gentium sibi esse aggregatam. Tunc „ *Helena* mater principis Constantini, quæ Augusta cum filio „ conregnabat, cùm Hierosolymam agnoscere concupisceret, reperta ibi *Idola* ac „ templa protrivit: mox usa regni viribus, „ basilicam in loco Dominicæ Passionis & „ Resurrectionis, & Ascensionis constituit „ .... Ejusdem reginæ beneficio *Crux Domini* tum reperta .... dignoque ambitu consecrata est. Hæc ipsa „ regum purpuras & „ ardentes diadematum gemmas condecorare „ incœpit. In fronte regum *Crux* figi cœpta est, quæ antè cunctis gentibus abominationi erat, cuique insultaverunt inimici. Effectus probavit virtutem, domitumque se orbis agnovit, non ferro, sed ligno.

*Isai. 60. 5.

Sev. Sulp. l. 2. Hist.

Hieron. Ep. ad Latam. Vide August. in Psalm. 54.

ARIANI.

Læta omnia videbantur & prospera; sed longè atrocius periculum cunctis Ecclesiis illa pace generatum. Tunc namque hæresis *Arii* erupit, quæ totum ferè orbem erroris sui contagione turbavit. Necesse oportebat ut intelligeret Ecclesia, consummatam pacem alteri sæculo reservari; hic autem exercitatione assidua opus esse, ne situ torpescat & corrumpatur: unde cessantibus gentilium persecutionibus, nova identidem bella à schismaticis & hæreticis, Deo ita permittente, sustinere coacta est; raraque fuerunt

sæ-

sæcula, quibus novum aliquod horum genus ab inferis non prodierit. Sub ipsum Constantini & Maxentii * exordium, duo præsertim schismata nata feruntur, (*a*) DONATISTARUM, qui sæculo IV. & V. in Africa vehementer tumultuati sunt: & MELETIANORUM in Ægypto. * *A.* 306.

Ex hac *Meletii* factione prodiit ARIUS presbyter Alexandrinus, homo ambitiosus & vafer, simulata pietate dolisque instructissimus, qui contra Dei filium impiam hæresim * effudit, quæ sensim gliscens, multosque mox in Palæstina & minori Asia patronos nacta, NICÆNÆ quidem *Synodi* (ad quam A. 325. *Constantini* hortatu trecenti decem & octo patres convenerant) auctoritate damnata & aliquantum repressa est, at post mortem ejus, imperante *Constantio* multo violentius exarsit incendium, gravesque & continui tumultus, supra quam dici potest, infestam multo deinceps tempore habuere Ecclesiam. Ariana hæc pestis, Imperatorum aliquot & Regum, quos infecerat, auctoritate fulta, totum propè orbem in partes suas erroresque contagionem tractura * *Circ. A.* 320.

(*a*) Donastitarum *nomen derivatum est à* Donato *Casarum nigrarum Episcopo, qui adversùs* Cæcilianum *Carthaginensem Ep. instigante præ cæteris* Lucilla *potenti & factiosa fœmina, quam hic aliquando reprehenderat, ordinavit* Majorinum, *cui* Donatus *alter prioris cognominis suffectus est, à quo factioni nomen confirmatum est. Horum surculus fuere* Circumcelliones, *fanaticum hominum genus, non minus in seipsos, quàm in Orthodoxos crudeles, de quibus videri potest* Baronius *A. C.* 331. *n.* 9 *& A.* 348. *num.* 26. *Alteri schismati origenem dedit* Meletius *Lycopolitanus Ep. quem* Petrus *Alexandrinus antistes, & martyr egregius, ob varia crimina, ac præsertim quòd idolis sacrificasset, loco movere.*

ra esse videbatur. Addictos devotosque sibi habuit Imperatores *Constantium* & *Valentem* in Oriente. *Iustinam* Imperatricem in Occidente: Reges *Vandalorum* in Africa: *Visigothorum* & *Suevorum* in Hispania: *Burgundionum* in Gallia: *Herulorum*, *Ostrogothorum*, ac denique *Langobardorum* in Italia. Formidandi certaminis partem aliquam exhibet *Vincentius* *Lirinensis*: „ *Arianorum*, inquit, venenum „ non jam portiunculam quamdam, sed penè orbem totum contaminaverat, adeò „ ut propè cunctis latini sermonis Episco„ pis, partim vi, partim fraude deceptis, „ caligo quædam mentibus offunderetur, „ quidnam potissimum in tanta rerum con„ fusione sequendum foret ..... cujus qui„ dem temporis periculo satis superque mon„ stratum est, quantum invehatur calamita„ tis, novelli dogmatis inductione. Tunc si„ quidem non solùm parvæ res, sed etiam „ maximæ labefactatæ sunt. Nec enim tan„ tùm affinitates, cognationes, amicitiæ, „ domus; verùm etiam urbes, populi, pro„ vinciæ, nationes, universum postremo Ro„ manum Imperium funditus concussum & „ emotum est. Cùm namque profana ipsa „ *Arianorum* novitas, velut quædam Bel„ lona, aut furia, capto priùs omnium Im„ peratore (*Constantio*. (a)) cuncta deinde

Commonit. pag. 4.

(a) *Una tanti mali caussa fœmina fuit, Constantini soror* Constantia, *quæ antehac* Licinio *nupserat. Hæc moriens, presbyterum quemdam, Arianæ hæresi pridem imbutum insignemque veteratorem, Constantino fratri commendarat, quem ille deinceps charum inprimis habuit, suumque illi moriens testamentum commisit. Quod ubi iste Constantio filio resignandum fideliter tradidit, apud hunc quoque in pretio esse cœpit. Quare, ut de Ario ab exilio revocando Constantino antea persuaserat, sic apud Constantium simulata pietate aliisque

„ de palatii culmina legibus novis subju-
„ gasset, nequaquam deinceps destitit uni-
„ versa miscere atque vexare, privata ac
„ publica, sacra profanaque omnia, nullum
„ boni & veri gerere discrimen, sed quos-
„ cumque collibuisset, tamquam de loco
„ superiore percutere. Tunc temeratæ con-
„ juges, depopulatæ viduæ, profanatæ vir-
„ gines, monasteria demolita, disturbati cle-
„ rici, verberati levitæ; acti in exilium sa-
„ cerdotes, oppleta Sanctis ergastula, car-
„ ceres, metalla: quorum pars maxima in-
„ terdictis urbibus protrusi, atque extorres,
„ inter deserta, speluncas, feras, saxa, nu-
„ ditate, fame, siti affecti, attriti, & tabe-
„ facti sunt."

Numquam aliàs frequentiores, quàm Imperante *Constantio*, Episcoporum (*a*) Synodi suc-

artibus perfecit, ut se Ariani dogmatis fautorem se profiteretur acerrimum, ejusque tuendi ac dilatandi studio universa misceret. Rem eamdem postmodum plurimum promovit Valens *Ep. Mursensis, qui & ipse suis fraudibus Imperatoris animum occupavit.*

(*a*) *Celebriores in quibus nunc Ariani, nunc Semiariani dominati sunt, hæ fuerunt:* Antiochena *A.* 341. Sirmiensis *A.* 351. *ubi nova fidei formula à Marco Arethusio producta est.* Arelatensis *pro damnatione Athanasii. A.* 353. Mediolanensis *pro damnatione ejusdem A.* 355. Biterrensis *in Gallia Narbonensi, cujus decreto* Hilarius *Ep. Pictav. in Phrygiam relegatur, agente* Saturnino *Arelatensi Episcopo Ariano. A.* 356. Antiochena *altera contra* Athanasium *A.* 356. Sirmiensis III. *ubi nova formula Sirmiensis priori deterior, cui* Osius *Cordubensis terrore & annis fractus subscripsit. A.* 357. Antiochena III. *pro Anomæis. A.* 358. Ariminensis *item* Seleuciensis *in Isauria A.* 359. *eodem tempore celebrata.*

Constantinopolitana, *in qua, auctoritate Constantii, rigidi Ariani vicissim prævalent. A.* 359.

Antiochena, *in qua procusa XVI. & ultima Ariana fidei formula, præ ceteris impiissima. A.* 361.

fuerunt, uti ipse *Ammianus Marcellinus* scriptor ethnicus adnotavit. Divisi inter se variéque secti *Ariani*, non habebant ubi requiescerent; alias proinde post alias fidei formulas effingentes, intra XX. annos, earum facilè sedecim procuderunt. At numquam tristior Ecclesiæ facies fuit, quàm post *Ariminense* Concilium, quod bono initio congregatum, partim Imperatoris violentia, partim *Valentis* & *Ursacii* fraudibus, fœdo exitu est consummatum; quando Occidentales Episcopi, qui 400. numero & aliquanto ampliùs Ariminum convenerant, quorumque non ultrà 80. Arianarum partium erant ab initio, tandem omnes externa quadam professionis specie, Arianis partibus aggregari visi sunt. Ingemuit totus orbis, inquit *Hieron.* * & se Arianum esse miratus est. Non quòd reipsa à fide defecisset, sed quod ita jactarent ubique Ariani, eisque revera nimiùm aliquid Catholici indulsissent, cùm fraudulentis eorum confessionibus contenti, vocem ὁμοούσιον velut minùs necessariam supprimi paterentur. Ab illa defectione, turbis, rixis, contentionibus, dissidiis ubique confusa, lacerata atque dissipata Ecclesia, non minùs tunc à suis Episcopis quàm paulo ante à conjuratis nominis Christiani hostibus vexabatur, adeò ut nec antistites quid docerent, nec plebes quid sequerentur, rati satis ac firmi quidquam haberent: res denique tota adeò desperata videbatur ac perdita, ut sanctissimis viris Neronianorum, Decianorum, Maximianorumque temporum desiderium excitaret. „ Periclitabatur navicula Apostolo„ rum; urgebant venti: fluctibus latera „ tundebantur: nihil jam supererat spei. „ Dominus excitatur, imperat tempestati,

* Dial. adv. Lucifer.

Hieron. ibid.

„ * *bestia moritur*, tranquillitas redit. Ma-
„ nifestiùs dicam. Omnes Episcopi, qui de
„ propriis sedibus fuerant exterminati, per
„ indulgentiam novi * principis ab Ecclesias
„ redeunt. Tunc triumphatorem suum (*a*)
„ ATHANASIUM Ægyptus excepit. Tunc
„ Hi-

*Constantius. *ann.* 361. 3. *Novembr.*
* Juliani.

(*a*) *Quo præcipuè per id tempus res Catholica nitebatur, & in cujus perniciem, potentissima Arianorum factio, totis Imperii viribus XLVI annorum spatio frustrà decertavit. Successit* Alexandro *Epis. Alex. quinto mense post Nicænum Concilium an.* 326. *in famoso apud* Tyrum *conventiculo falsis criminibus damnatur an.* 335. *Novis inimicorum fraudibus in suspicionem adductus apud* Constantinum, *Treviros relegatur an.* 336. *quo eodem* Arius, *communionem ab* Alexandro *Constantinop. Episcopo per vim extorquere conatus, dum ad Ecclesiam properat, repentina effusione viscerum infamem vitæ exitum habuit. Remittitur* Athanasius *Alexandriam cum honorificentissimis litteris Constantini junioris an.* 338. *Romam ad* Julium P. *se confert, an.* 339. *moraturque ibidem annum unum & menses sex; Eusebianis, qui expectabantur, vadimonium deserentibus. Redit Alexandriam an.* 341. *quo eodem sede sua ejicitur decreto Conciliabuli* Antiocheni, *substituto in locum ejus* Gregorio Cappadoce *qui an.* 349. *periit. Romam, ut asylum, Athanasius repetit. Jussu Concilii* Sardicensis *an.* 347. *restituitur. Occiso* Gregorio *Cappad. an.* 349. *ad sedem suam revertitur, an.* 356. *ad fugam iterum compellitur, & annos ferè sex in desertis locis vitam traducere cogitur. Cùm* Julianus *Imp. edicto revocasset exules, Alexandriam revertitur. an.* 362. *& celebre ibidem Concilium habet. At rursus Arianis instantibus,* Julianus *Athanasium Alexandria pelli jubet, mense Decembri an.* 362. *Revertitur tamen Alexandriam, ibique latet usque ad mortem* Juliani, *quæ incidit in* 27. Junii 363. *Sedem suam recuperat, confirmaturque ab* Joviano *principe Catholico, à Valente sub an.* 367. *rursus exagitatur: sed is coactus est Athanasium in pace dimittere, in qua deinceps vixit & mortuus est,* 2. *Maji an.* 373. *æt.* 78. *transactis inter tot tamque atroces procellas, in Episcopatu annis* 46. *vide* Martyrologium Rom. 2. *Maji; ubi breve sed luculentum Sanctissimi viri elogium reperies.*

„ Hilarium (Pictaviensem Episcopum) de „ prælio (& exilio) revertentem, Galliarum „ Ecclesia complexa est : Tunc ad reditum „ Eusebii (Vercellensis Episcopi) lugu„ bres vestes Italia mutavit. Concurrebant „ Episcopi, qui *Ariminensibus dolis* irretiti, „ *sine conscientia heretici ferebantur*, conte„ stantes corpus Domini, & quidquid in Ec„ clesia sanctum est, (*a*) *se nihil mali in sua* „ *fide suspicatos*. Putavimus, ajebant, sensum „ congruere cum verbis, nec in Ecclesia „ Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio „ est, aliud in corde clausum esse, (*b*) aliud „ in labiis proferri timuimus. Decepit nos „ bona de malis existimatio. Non sumus ar„ bitrati, sacerdotes Christi adversùs Chri„ stum pugnare. Multaque alia, quæ bre„ vitatis caussa prætereo, flentes afferebant, „ parati & subscriptionem pristinam, & om„ nes Arianorum blasphemias condemnare „ .... Post reditum confessorum, in *Alexan*„ *drina* postea synodo (A. 362.) constitutum „ est, ut exceptis auctoribus hæreseos, quos „ error excusare non poterat, pœnitentes „ Ecclesiæ sociarentur; non quod Episcopi „ esse possint, qui hæretici fuerant, sed *quod* „ *constaret eos, qui reciperentur, hæreticos non* „ *fuisse*. Assensus est huic sententiæ Occi„ dens, & per tam necessarium consilium,

„ sa-

(*a*) *A fide igitur non exciderant.*

(*b*) *Inter varias Ariani dogmatis blasphemias, quibus sub finem Ariminensis Concilii*, Valens *Mursensis Ep. & Arianorum signifer, anathema dixerat; hæc subdolè inserta fuerat : si quis dixerit creaturam filium Dei*, ut sunt ceteræ creaturæ, *anathema sit. Ergo post Concilium Valens & Ursacius, ceterique nequitiæ eorum socii, palmas suas jactitabant, dicentes se Filium non creaturam negasse; sed similem ceteris creaturis.*

„ ſatanæ faucibus mundus ereptus eſt. “ Optimum ergo factu viſum eſt revocare cunctos ad emendationem & pœnitentiam, & qui reverti vellent, eos Eccleſia Catholica, teſte *Auguſtino*, materno recepit ſinu, tamquam Petrum poſt fletum negationis per Galli cantum admonitum, aut tamquam eumdem, poſt pravam ſimulationem, Pauli voce correctum. Illud apud omnes conſtitit, inquit *Severus Sulpitius*, unius HILARII beneficio Gallias noſtras, piaculo hæreſis liberatas. Ceterum LUCIFER Calaritanus in Sardinia Epiſcopus; conſtantia fidei ſcriptorumque libertate (ſi labem iſtam excipias) inter Eccleſiæ lumina recenſendus, cùm tunc Antiochiæ eſſet, longè diverſa ſententia fuit: nam in tantum eos qui *Arimini* fuerant, condemnavit, ut ſe etiam ab eorum communione ſecreverit, qui eos ſub ſatisfactione, vel pœnitentia recepiſſent. Atque hinc *Luciferianorum* ſchiſma initium habuit. Adeò in omnibus rebus, ut optimum, ita difficillimum eſt, modum ſervare.

Liceat hic ex memorata Eccleſiaſtici ordinis circumventione, cum *Nicolao Fabro* * concludere, quàm cautos circumſpectoſque eſſe oporteat, quibus cum hæreticis tractatio ſuſcipienda eſt, quantique periculi res ſit, à terminis quos fixere patres, vel unguem latum diſcedere. Enimverò patres illi Ariminenſes, dum nudas quaſdam, uti ab Arianis perſuaderi ſibi ſinebant, *οὐσίας καὶ ὁμοούσιος* voculas in fidei profeſſione omitti paſſi ſunt, Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ Deus eſt, confeſſione, id eſt, ſummam religionem, pro qua conſervanda tantum ſanguinis à Chriſto nato Eccleſia profuderat, tot martyres dederat; ereptum ſibi atque extortum iri, ſciè

* *Præf. in Frag. Hilar.*

serò tandem animadverterunt. Quanto fortiùs, quantoque prudentiùs, ante vim sibi illatam, iidem ipsi definierant, iis quæ Synodo Nicæna statuta erant, nec addi quidquam debere, nec detrahi: & *substantiæ* nomen æquè ac rem, suam debere obtinere firmitatem?

Quisquis porrò mentis aciem intenderit in subitam illam ac repentinam rerum mutationem, quæ *Constantio* defuncto, revocatisque *Juliani* edicto in pristinas sedes Episcopis, confestim secuta est; is certè agnoscet Dominum, suæ promissionis memorem, laboranti Apostolorum naviculæ præstò adfuisse, & divinæ suæ majestatis præsentia tremendam illam sedàsse tempestatem. Qua in re mirandum valdè videri possit, ipso illo dracone Apostata Juliano, qui nihil tam ex Imperio concupierat, quàm ut religionem Christianam funditus perderet, Deum uti voluisse ad restaurationem fidei Nicenæ, concordiamque Episcoporum promovendam. Sanè cùm omnes propter fidem Christianam exules, cujuscumque sectæ essent, revocasset; tantùm ut illas turbas, quibus tunc Ecclesia vexabatur, aleret & adaugeret, utque diversarum sectarum duces, intra eadem mœnia degentes, velut infestissimi hostes cominùs inter se commissi, acriùs dimicarent ac sese mutuò certiùs citiùsque conficerent, imperscrutabili tamen Dei providentia trium præcipuè *Confessorum*, ab exilio reversorum, diligentia, labore, sollicitudine, omnes ferè qui Ariminensi sceleri, sive simplicitate decepti, seu metu perterriti, sive etiam Ariana labe infecti subscripserant, culpam agnovere, & Nicænam fidem, ut vidimus, amplexi sunt.

Ce-

Ceterùm Ariana tempestas citò recruduit. Nam VALENS à *Valentiniano* fratre consors Imperii designatus, Arianorum consuetudine, & uxoris blanditiis seductus, Arianæ sese factioni adjunxit, & Nicænæ fidei defensores agitare non destitit: maximè ubi ab *Eudoxio* Constantinopolitanæ sedis invasore, in ipso procinctu expeditionis Gothicæ baptizatus est, & jurejurando pollicitus Ariani dogmatis se defensorem, omniumque qui eidem obsisterent, hostem fore perpetuum. Utrumque haud segniter præstitit: tam atrox enim ab illo in Oriente commota est persecutio adversùs orthodoxos, ut insectationibus ethnicorum haud immeritò potuerit comparari: complures in exilium acti sunt antistites, aliorumque ordinum Catholici; ceteri variis modis vexati: non pauci extrema perpessi sunt. In monachos tam atrocibus furiis invectus est, ut horum tria millia, qui in vasta Ægypti solitudine, maximè verò apud Nitriam, divinis rebus dediti erant, profecturus ad Persicum bellum, per Tribunos ac præfectos, nequitiæ suæ satellites, ad militiam evocari, & nolentes fustibus mactari jusserit: aliquot etiam millia barbaris trucidanda objectans, in eo prælio quo cum Gothis conflixit.

Sub idem tempus Ariana perfidia, etiam in Occidente, protritum caput nitebatur erigere, JUSTINA Valentiniani senioris uxor, *Arii* virus, quod longo tempore, ob metum viri, quem Catholicæ fidei tenacissimum noverat, corde tectum gesserat; post hujus * mortem, *Valentiniano* filio adhuc adolescenti infundere conabatur. Hæc Mediolani aliquamdiu agens, incredibilem AMBROSIO aliisque orthodoxis molestiam afferebat: * *A. 375.*

sed

sed Jesabelis hujus insania sanctissimum virum non deterruit, quin Ecclesiam, quam Justina Arianis dari imperabat, constantissimè recusaret. Cœpit ea Justinæ adversus Catholicos persecutio ab anno circiter 380. Anno autem 386. edictum extorsit à filio, quo permitterentur cœtus eorum, qui Ariminensem formulam sequerentur. At devicto per THEODOSIUM *Maximo* (A. 388.) *Valentinianus Junior*, qui hujus principis verè Catholici ope & auxilio Occidentis Imperium recuperasse se noverat, detestatus Arianos, Catholicam exin religionem ex animo amplexus & tuitus est. Ita infelix monstrum, quod quinque ante annis (a) mira prudentia, ardenti zelo, & acerrimis legibus, *Theodosius*, in Oriente suffocarat; eodem adnitentem, in Occidente etiam prostratum fuit, annis ferè 68. postquam exortum fuerat.

Non ita tamen, quin identidem repullularit. *Gothi*, qui Valentis temporibus, eo suadente & promovente, Christianam sub Arii professione fidem amplexi fuerant (quam & inter eos *Ulphilas* gentis Episcopus Arianus, longius propagarat) eamdem devictis à se regionibus invexerunt. Id quod & *Vandali* fecerunt, atque etiam *Langobardi*. Ita ab *Ostrogothis* multa passi sunt Catholici in Italia usque ad A. 553. quo à Narsete devicti sunt: à *Visigothis* in Hispania, usque ad tempora *Reccaredi*, qui A. 586. Catholicam fidem apertè professus est: à *Vandalis* in Africa, à quibus Catholici atrociter exagitati sunt. Primam ibi persecutionem movit *Geisericus* sub A. 429. Secundam *Hunnericus* filius ejus

(a) 383. *Biennio autem ante, anno scilicet 381. ejusdem Theodosii sollicitudine celebrata fuerat* I. Constantinopolitana *synodus œcumenica, in qua damnatus fuerat* Macedonius *Episcopus antehac CP. Semiarianus & nova auctor hæreseos contra divinitatem Spiritus Sancti*.

ejus A. 484. octavo regni, & ultimo vitæ ſuæ, menſe Februario: quam *Victor Vitenſis* graphicè deſcripſit, quæque ſine lacrymis legi vix poteſt. Inauditam ſanè in Catholicos crudelitatem exercuit. Epiſcopos ſuprà 334. in exilium extruſit: complures lingua truncavit ac manibus, qui Conſtantinopolim ac in alia loca delati, integra nihilominus voce, ad ſummam omnium admirationem, locuti fuiſſe traduntur. Hanc piorum carnificinam, ſub finem ejuſdem anni, horrenda tyranni mors eſt conſecuta; qui à vermibus conſumptus interiit. Ceterum redacta per Belliſarium in Juſtiniani poteſtatem Africa, A. 534. religio Catholica ibidem reſtituta fuit. *Burgundiones* jam pridem antè, Arianum dogma deſeruerant A. 511. ſub rege *Sigiſmundo*: *Langobardi* in Italia ſub rege *Ariberto* circ. A. 660. abdicato Arianiſmo, fidem Catholicam amplexi ſunt, in qua deinceps perſtiterunt. Sic funeſta illa hydra, tot malorum fœcunda parens, tum quidem extincta eſt: ſed poſt annos ferè 900. circ. A. 1530. reviviſcere cœpit in Polonia & Tranſſilvania per novos Arianos, & Antitrinitarios, qui de malo in pejus ruentes, priſcis illis Arianis longè deteriores facti ſunt, & cum *Deiſtis* atque *Socinianis* noſtro ſæculo confunduntur.

PELAGIANI.

Defuncto *Theodoſio* ſeniori, qui virtute, religione, victoriis, ſuiſque in Eccleſiam meritis, *Magni* cognomen adeptus eſt, quique, ut ſuprà vidimus, *Arianiſmi* vires tam vehementer eliſit; ſub *Honorio* filio ejus, ac *Theodoſio* juniori, ſenioris nepote, varii iterum in Eccleſia motus extitere, celeberrimique cum novis priſciſque hæreticis conflictus;

flictus; præsertim verò contra duas, tum recens natas, hæreses certamen fuit, *Pelagii* atque *Nestorii*. Contra istam, primæ partes delatæ sunt AUGUSTINO Hipponensi Episcopo: adversùs alteram, CYRILLO Antistiti Alexandrino.

PELAGIUS ex majori Britannia oriundus, professione monachus, homo versipellis, mirusque fallendi artifex, pestilentissimum adversùs gratiam Christi, qua Christiani sumus, dogmá concepit animo, quod sub initium sæculi V. anno circ. 405. arte multiplici variisque flexibus, per se & discipulum (*a*) suum CÆLESTIUM, disseminare aggressus est. Artem hominis & fraudes eleganter expressit *Garnerius* (*b*): „ Hæ, inquit, Pelagio, erant artes hæresim disseminanti. Nihil de suis mysteriis apertè „ vulgo credere, sed fidis tantum auribus. „ Si quid dogmatum emanasset in publicum; „ negare palam quod in cubiculis doceret. „ Si aperte proponendus error, alienam inducere personam; si suo nomine loqui cogeretur, dubitantis more, timideque afferre, de quo simularet se velle doceri. „ Si ex libris argueretur cujusdam assertionis, libros causari vel non esse suos, vel „ prius subreptos quàm emendarentur. Si „ ex confessis urgeri contingeret; sententias

(*a*) *Alium quoque discipulum ac defensorem habuit* Annianum *Eccl. Celedensis Diaconum, de quo* Hieron. *Ep. ad Alipium & Augustinum, quæ est* 202. *inter Epist.* August. *N. Ed. olim* 24.

(*b*) *In Comment. ad* Marii Mercat. *commonit. dissert. I. p.* 134. *Hoc commonitorium adversùs* Pelagianos, Marius Mercator *S. Augustini amicus Constantinopoli tunc existens,* Theodosio *juniori obtulit. Opera ejus à tenebris eruta, una cum doctissimis commentariis, edenda curavit Joan.* Garnerius *S. J. qui obiit an.* 1681.

„ tias interpretari verbis perplexis, & in „ speciem Catholicis. Si necessitas foret „ Ecclesiæ nonnulla damnanti consentire, „ *damnare libenter omnia, sed, ut ajebat, Ecclesiæ sensu, id est, eo quem postea fingeret ad* „ *arbitrium*. Si aliquando fidem exponere de„ beret, copiosè prosequi plurima, de quibus „ non interrogaretur; de re, vel nihil, vel „ ambiguum quiddam eloqui: imitari ser„ pentes, qui, ut ait *Orosius* Apologetici „ Cap. 1. cùm tuendi solius capitis caussa „ reliquum concisioni atque injuriæ corpus „ opponunt, nihil damni arbitrantur, ea „ tantùm sui parte à periculo libera, quæ „ multimodas venenatasque in se obtinet lin„ guas, etiamsi membris omnibus amputen„ tur. „

Erroris sui præformatores *Pelagius* habuisse creditur *Origenem*, *Theodorum Mopsuestenum*, *Euagrium Ponticum*, *Palladium galatam*, & *Rufinum* quemdam presbyterum, de quo inter eruditos non convenit, utrùm *Aquileensis* ille fuerit, suis cum *Hieronymo* contentionibus celeberrimus, an alius quispiam natione *Syrus*, ab isto planè distinctus.

Errores Pelagiani dogmatis, ad tria præcipua capita, totidem fidei Christianæ veritatibus opposita, nonnumquam revocat *Augustinus*. * „ Tria sunt, inquit, quæ maximè „ adversùs eos catholica defendit Ecclesia. „ Quorum unum est, gratiam Dei non se„ cundùm merita nostra dari, quoniam Dei „ dona sunt, & Dei gratia etiam conferun„ tur merita universa justorum. Alterum „ est, in quantacumque justitia, sine qua„ libus cumque peccatis in hoc corruptibili „ corpore neminem vivere. Tertium est „ obnoxium nasci hominem peccato primi„ homi-

* *L. De dono persev. c. 2. Tom. X.*

„ hominis, & vinculo damnationis obstri-
„ ctum; nisi reatus, qui generatione contra-
„ hitur, regeneratione solvatur.

Viginti quatuor Concilia, ante Ephesinum œcumenicum, contra errores Pelagii atque Cælestii, celebrata fuisse asserit *Garnerius*, quæ etiam singillatim recensuit. Eorum primum Carthagine habitum est sub *Aurelio* Episcopo, A. 412. in quo *Cælestius*, qui novum dogma liberiùs apertiusque prædicabat quàm Pelagius, Hæreseos prior damnatus est, accusante *Paulino* Diacono Carthaginensi. Pelagius qui Roma in Africam venerat, videns hic sibi nihil tutum fore, intereà in Palæstinam abscesserat. *Eros* Arelatensis, & *Lazarus* Aquensis in Gallia Episcopi, ad prædictæ regionis antistites Pelagii nomen deferendum curarunt. Celebratur A. 415. synodus *Diospolitana*, sed ob alterius infirmitatem, Gallicani isti præsules adesse non potuerunt. Subdola igitur confessione verbisque ambiguis, patres in ea synodo congregatos, qui latini sermonis parùm gnari erant, delusit Pelagius, & absolutus est. Verùm anno 416. duabus synodis *Carthaginensi* & *Milevitana* damnantur errores Pelagii atque Cœlestii; quæ damnationis sententia, cum litteris ab *Augustino* exaratis, ad *Innocentium I.* Papam missa est, & ab eodem in sequenti anno 417. confirmata. Non cessabant intereà magister atque discipulus. Literas quoque suas, consuetis artibus dolisque plenas, Romam mittunt. *Innocentius* obierat: successori ejus *Zozimo* redduntur, una cum commendatitiis literis *Praylii* Hierosolymorum antistitis. Cælestius ipse Romam accurrit, modisque omnibus Pontifici tentat imponere. Fit hic in damnatos propensior.

penſior. At ſatagentibus Africanis, fraus omnis confeſtim detegitur. Cœleſtius Roma ſe clam ſubducit. Itaque cum Pelagio pariter damnatur à Zoſimo A. 418. Eodem anno res tota conficitur octo canonibus, quos adverſus novam hæreſim Africani patres ediderunt, in ſynodo 213. Epiſcoporum, Carthagine celebrata. *Iulianus* Eclanenſis in Campania Epiſcopus, Memorii Capuani antiſtitis filius, hæreſeos ferè jam profligatæ patrocinium ſuſcipere aggreſſus eſt; licèt aliquam Pelagiani dogmatis partem ultro deſereret, ad executionem boni operis divinæ gratiæ neceſſitatem agnoſcens: qua in re *Semipelagianis* præluſiſſe videtur. Sede ſua eam ob cauſſam pulſus, grande cum *Auguſtino* certamen iniit; homo lingua promptus & diſertus; ſed procax & temerarius. Triumphat Auguſtinus, & per Auguſtinum veritas. *Iulianus* diu errabundus, tandem in Siciliam devolvitur, ubi ex Epiſcopo factus ludi magiſter in vico quodam ignobili, ærumnis & egeſtate preſſus obiiſſe dicitur circa A. 453.

Fruſtrà conqueſti ſunt Pelagiani, particularia dumtaxat fuiſſe concilia, nec aliunde ſatis libera, à quibus damnati fuerant: fruſtrà ex eorum numero, XVIII. Epiſcopi, novo & inaudito hactenus exemplo, ad œcumenicam ſynodum provocarunt, omnes eorum clamores contempſit Eccleſia, non dubitans quin * factum de illis eſſet competens ſufficienſque judicium, nihilque adeo ſupereſſe, niſi ut ubicumque lupi iſti apparuerint, conterantur, ſive ut ſanentur atque mutentur; ſive ut ab aliorum ſalute, atque integritate vitentur. Ubique ergo terrarum Eccleſiaſtica ſimul & imperiali ſen-

* *Vide* S. Aug. *l.* 4. *ad Bonifac. C. ult.* & *l.* 3. *contra Iulian. c.* 3.

tentia perculsi, ab urbe & communione Ecclesiastica extorres facti sunt.

Ceterùm Pelagianorum damnationi non defuit Concilium Oecumenicum. Enimverò EPHESINA synodus A. 431. contra *Nestorium* congregata, amicorum etiam ejus *Pelagii* & *Calestii* erroribus, novæ damnationis notam inussit, Act. 5. & 7. Can. 1. & 4.

SEMIPELAGIANI.

Sub hæc exorta est Massiliæ, aliisque in Gallia Narbonensi locis vicinis, nova quædam factio, SEMIPELAGIANORUM dicta, qui cetera Pelagianorum dogmata condemnantes, hoc tamen ex iis præfractè tenuerunt, *initium fidei & bonæ voluntatis, ipsamque in bono perseverantiam, in naturæ viribus sita esse*. Errorem hunc occultè grassantem, ex litteris *Prosperi* & *Hilarii* (quos viros laicos fuisse sentiunt eruditi) paucis ante obitum annis intellexit, & domuit * *Augustinus*. Post hujus mortem (quæ A. 430. contigit) *S. Prosper* eosdem variis scriptis insectari & debellare perrexit; ac demum A. 529. in synodo *Arausicana II.* sub *Felice IV.* Papa celebrata, ex professo damnati sunt; quam synodum, Felicis successor *Bonifacius II.* Apostolica auctoritate confirmavit; novissimè verò *Tridentina synodus*, ejusdem definitiones adoptavit, Sess. 6. Can. 2. & 3.

* *Libris* de Prædestinatione Sanctorū & de dono perseverantiæ.

NESTORIANI.

Gravius acriusque certamen attulit Ecclesiæ NESTORII hæresis, quæ & plausibilis videri poterat, & ob auctoris famam ac dignitatem, inconstantis vulgi animos vehementiùs

tiùs commovere. Quam rem coætaneus Nestorio scriptor *Vincentius Lirinensis* eleganter expendit. „ Ut à proximis, inquit, & manifestis incipiam, qualem fuisse nuper tentationem putamus, cùm infelix ille *Nestorius* subitò ex ove conversus in lupum, gregem Christi lacerare cœpisset: cùm eum hi ipsi qui rodebantur, ex magnâ adhuc parte ovem crederent, ideòque morsibus ejus magis paterent? Nam quis eum facilè errare arbitraretur, quem tanto Imperii judicio electum, tanto sacerdotum studio prosecutum videret? Qui cùm magno Sanctorum amore, summo populi favore celebraretur quotidiè, palàm divina tractabat eloquia, & noxios quoque Judæorum & gentilium confutabat errores. Quo tandem iste modo non cuivis fidem faceret se recta docere, recta sentire? sed hoc erat illud quod Moses ait: tentat vos Dominus Deus vester, si diligatis eum, an non. „ *In Commonit. adv. hæres. p. 11. b. Edit. 1556.*

Hic ergo *Nestorius* Germanicia Syriæ oppido oriundus, professione monachus fuit in Monasterio S. Euprepii, quod in Antiochena urbe florebat. Inde eductus, atque in eadem urbe ad presbyteratus honorem evectus, cum insigni nominis claritate prædicabat, cùm A. 428. exortis Constantinopoli ob eligendum antistitem dissidiis & factionibus, *Theodosii* junioris jussu in urbem regiam accitus est, ut defuncto *Sisinnio* (a) sufficeretur. Erat Nestorius natura eloquens, sed in scripturis, & veterum lectione, quos præ se

(a) *Successerat hic* Attico; *Atticus* S. Joanni Chrysostomo, *qui & ipse olim Antiochenus presbyter, Constantinopolim fuerat accersitus.*

se fortiter contemnebat, minùs excitatus. Itaque in errorem (a) incidit, quem imperitia peperit, & superbia educavit. Christum asseruit *persona constare duplici*, & Beatam *Mariam* hominis tantummodò Christi, minimè verò *Dei Matrem* esse, aut dici posse, pertinacissimè contendebat. Mentem ejus his verbis *Vincentius Lirinensis* exposuit; „ Nestorius contrario (b) *Apollinari* morbo, dum se duas in Christo substantias „ distinguere simulat, duas introducit repentè personas; & inaudito scelere duos „ vult esse filios Dei, duos Christos: unum „ Deum, alterum hominem: unum qui ex „ patre, alterum qui sit generatus ex matre. Atque ideò asserit Sanctam Mariam „ non Θεοτόκον, sed Χριστοτόκον, esse dicendam: quia scilicet ex ea non ille Christus qui Deus, sed ille qui erat homo, „ sit natus. Quòd si quis eum putat in „ litteris suis unum Christum dicere, & „ unam Christi prædicare personam, non „ temerè credat. Aut enim istud fallendi arte machinatus est, ut per bona fa-
Rom. 7. „ ciliùs suaderet & mala: sicut ait Apostolus; *per bonum mihi operatus est mortem*.

(a) *A* Theodoro Mopsuesteno, *&* Diodoro Tarsensi, *errorem suum jam antè didicisse Nestorium aliqui existimant*.

(b) Apollinaris *Ep. Laodicanus, convertibilem verbi dicebat naturam, nec duas in Christo agnoscebat substantias, sed aut totam Christianissimam, aut certè mentem atque rationem in anima denegabat, asserens pro sensu mentis fuisse Dei verbum. Sed & ipsam Domini carnem non de Sancta Virginis Maria carne susceptam, sed de cœlo in Virginem descendisse dicebat: eamque nutabundus semper & dubius, modò coæternam Deo verbo, modò de verbi divinitate factam prædicabat. Damnavit eum* Athanasius *in Synodo an. 368. ac postea Romæ* Damasus *an.* 373. *Quo anno obierit, ignoratur*,

,, *tem*. Aut ergo, ut diximus fraudulen-
,, tiæ cauſſa quibuſdam in locis ſcriptorum
,, ſuorum unum Chriſtum, & unam Chri-
,, ſti perſonam credere ſe jactitat: aut cer-
,, tè poſt partum jam Virginis, ita in
,, unum Chriſtum duas perhibet conveniſſe
,, perſonas, ut tamen conceptus, ſeu partus
,, Virginei tempore, & aliquanto poſteà,
,, duos Chriſtos fuiſſe contendat. Et cùm
,, ſcilicet Chriſtus, homo communis primùm,
,, & ſolitarius natus ſit, & necdum Dei
,, verbi perſonæ unitate ſociatus, poſteà in
,, eum adſumentis verbi perſona deſcende-
,, rit: & licet nunc in Dei gloria maneat
,, aſſumptus, aliquamdiu tamen nihil inter
,, illum & ceteros homines interfuiſſe videa-
,, tur.

Novam hanc hæreſim (quæ tamen Ebio-nitarum, Artemæ, Theodori, Pauli Samo-zateni, & *Photini* (*a*) dogmatibus aliqua ex parte conſonabat) primus palàm prædicare aggreſſus eſt *Anaſtaſius* presbyter, quem An-tiochia Conſtantinopolim Neſtorius adduxe-rat. Inſuetæ fidelium aures exhorreſcunt. Inſurgit clerus & populus. Neſtorius pro eo quod novitatem comprimeret & ſcandalum tolleret, confirmat & explicat, tum per ſe, tum per *Diodorum*, Marcianopolitanum an-
tehac

(*a*) Photini, *qui Sirmienſis in Pannonia erat Epiſco-pus, hac ſecta eſt, inquit* Vinc. Lirin. *dicit Deum ſin-gulum eſſe & ſolitarium, & more judaico confitendum: Trinitatis plenitudinem negat, neque ullam Dei verbi, aut ullam Spiritus Sancti putat eſſe perſonam: Chriſtum verò, hominem tantummodò ſolitarium aſſerit, cui principium adſcribit ex Maria: & hoc omnibus modis dogmatizat, ſolam nos perſonam Dei patris, & ſolum Chriſtum hominem colere debere. In tribus Syrmienſibus ſynodis (licet à Semiarianis præcipuè celebratis) dam-natus, tandemque depoſitus eſt annis* 349. 351. & 357.

tchac Episcopum, hominem partibus ejus omni ex parte devotum. Obsistentes sibi clericos persequi, graviterque in eos sævire instituit. Rei fama in Ægyptum delata, non paucos commovere incipit. At CYRILLUS, qui A. 412. *Theophilo* avunculo suo, in Alexandrina sede successerat, singulari Dei munere suscitatus est, ut gliscenti hæresi murum se pro domo Dei opponeret. Scribit ergo ad Nestorium, at nihil proficit. Causam ad *Cælestinum* Papam defert. Scribit ad eumdem iteratis litteris Nestorius. Romæ Concilium celebratur A. 430. Leguntur Nestorii Epistolæ ceteraque quæ adversùs eum suggesta fuerant documenta. Damnatur doctrina ejus, danturque ad eum litteræ, quibus injungitur, ut intra decem dierum spatium, sub anathematis pœna, errorem suum agnoscat & ejuret. *Cyrillo* ad hujus executionem sententiæ, vices suas demandat *Cælestinus*. Edit iste XII. anathematismos à Nestorio subscribendos. Hos ad se missos contemnit Nestorius, iisque opponit suos. EPHESI tandem, annuente Theodosio, A. 431. OECUMENICA SYNODUS celebratur Episcoporum supra ducentos, cui Cælestini nomine *Cyrillus* præsidet, missis etiam ad synodum tribus aliis Papæ legatis, Arcadio & Projecto Episcopis, ac Philippo presbytero. Ephesum tendit ipse Nestorius magna populi frequentia stipatus. Tertiò citatus à Concilio, comparere detrectat. Damnatur, ferturque adversùs eum depositionis sententia die 22. Junii. Quinto inde die *Joannes* præsul Antiochenus, qui occultè favens Nestorio, adventum suum de industria retardaverat, cum quibusdam suæ jurisdictionis Episcopis Ephesum advenit; *Candidiani* comi-

mitis ſuaſu doloque deceptus, ſeceſſionem facit, ſuumque cum 30. circiter Epiſcopis, (quorum multi vagi erant, aut Pelagiani, aut jam antè depoſiti) Conciliabulum inſtituit, in quo *Cyrillus* Alexandrinus, & *Memnon* Epheſinus Epiſcopi damnantur ac deponuntur. *Theodoſius* Joannis atque Orientalium deceptus litteris, adnitentibus in hoc ipſum *Candidiano* (*a*) & *Irenæo* comitibus Neſtoriana labe contactis, Neſtorium, Cyrillum & Memnonem legitimè damnatos credidit, ac Joannem comitem ad ſynodum miſit, qui eoſdem in cuſtodiam tradi juſſit. Re meliùs comperta, legitimæ ſynodi acta venerabundus amplectitur, Cyrillum ac Memnonem liberat, exilium imperat Neſtorio, qui primùm ad monaſterium ſuum S. Euprepii, inde in Oaſim oppidum in Libyæ deſertis relegatus eſt, quod oppidum cùm Blemmii poſtmodùm excidiſsent, variis exiliis circumactus, miſerè tandem periit. Quo mortis genere finierit, non ſatis conſtat, niſi quòd verminante lingua, blaſphemiæ ſuæ pœnas luiſse, probabiliùs aſſeri videatur. Elapſo à Concilii celebratione triennio, cura & ſollicitudine Theodoſii Imp. pax inter Joannem Antiochenum & Cyrillum coaluit. Confirmata eſt communi omnium voce & ſententia, Neſtorii condemnatio, & *Maximiani*, qui ei ſuffectus fuerat, electio. Bonorum quoque publicatione propoſita, Neſtorianis libris, omnibus interdictum eſt.

Neque tamen ſtatim extinctus eſt error: toto

(*a*) Irenæus *amicitia tantùm ſtudio Neſtorium ſecutus fuerat, nulla publica poteſtate*. Candidianus *verò cùm Theodoſii mandatis, ut ſynodi tuendæ, promovendæque ſollicitudinem curamque pro Imperio ſuſtineret.*

toto contra Oriente diffusus & ad *Indos* usque penetrasse dicitur, atque ad nostra usque tempora perdurasse. Non desunt interim eruditi, qui *Nestorianum*, quod apud nonnullos Orientales vigere adhuc dicitur, nomen, aliunde derivatum esse existiment, nullamque verè Nestorianam hæresim hoc tempore extare contendant; id quod cùm aliunde, tum ex iis actis probant, quæ A. 1617. *Strozza* Romæ edidit libro de dogmatibus Chaldæorum. Ceterùm *Felix* Urgelitanus, & *Elipandus* Toletanus in Hispania Episcopi, Nestoriani dogmatis errorem sæculo VIII. aliqua ex parte instaurare conati sunt, asserentes Christum, Dei *Filium adoptivum* esse, qui error in variis Conciliis, sed præsertim *Francofordiensi*, A. 794. damnatus fuit.

EUTYCHIANI.

Cùm adversùs Nestoriani dogmatis impietatem, vehementer, ut par erat, insurgerent Catholici; presbyter quidam provectæ jam ætatis, cui nomen EUTICHES, celeberrimi in urbe CP. monasterii archimandrita, justo longiùs progressus, dum Nestorianam charybdim, id est, duas in Christo personas, exhorrere plus nimio videri voluit, in adversam scyllæ voraginem, præcipiti zelo abreptus est. Eodem igitur abutens principio, quo & *Nestorius* in errorem lapsus fuerat, multiplicatis nempe naturis, necesse esse ut & personæ multiplicentur, naturarum in Christo discrimen tollere aggressus est, *unam*, ut hypostasim, ita & naturam ei tribuendam esse contendens. Unde consequens erat, Dei verbum sic in carnem fuisse conversum, duasque inter se naturas con-

confusè permixtas, ut ſola divinitas, ſub carnis, non veritate, ſed figura, famem, ſitim, laſſitudinem, vigilias, crucem, mortem perpeſſa fuerit, & poſt triduum revixerit è ſepulcro: quæ omnia ad *Valentini Manichæi*, & *Apollinaris* deliria pertinebant.,,
,, Quid prodeſt, inquiebat * *S. Leo P.* im- * Ep. ad Julian. Ep. Coenſim. Tom. IV. Concil. Col. 20.
,, prudentiſſimo ſeni, *Neſtorianæ hæreſeos* no-
,, mine, eorum lacerare opinionem, quo-
,, rum piiſſimam convellere non poteſt fi-
,, dem? cùm quantùm *Neſtorius* à veritate
,, diſceſſit, deitatem verbi ab aſſumpti ho-
,, minis ſubſtantia ſeparando, tantum à recto
,, tramite etiam iſte deſciſcat, qui unigenitum
,, Dei filium ſic de utero beatæ Virginis præ-
,, dicat natum, ut humani quidem corporis
,, ſpeciem geſſerit, ſed humanæ carnis veri-
,, tas verbo unita non fuerit? de quo *prodigio*
,, *falſitatis*, quis non videat, quæ opinionum
,, monſtra naſcantur? Negator enim media-
,, toris Dei & hominum hominis Jeſu Chri-
,, ſti, neceſſe eſt ut multis impietatibus im-
,, plicetur, eumque aut *Apollinaris* ſibi vindi-
,, cet, aut *Valentinus* uſurpet, aut *Manichæus*
,, obtineat, quorum nullus in Chriſto *huma-*
,, *næ carnis* credidit veritatem.,, In Epiſtola porrò ad *Flavianum*, in qua ſapientiſſimus ille Pontifex emergentem tunc hæreſim hanc perdomuit penitus atque protrivit, oppoſitam errori veritatem Catholicam, ita paucis complexus eſt: ,, Salva igitur proprieta- Ibid. Col. 348.
te utriuſque naturæ, & in unam coeunte
,, perſonam, ſuſcepta eſt à Majeſtate humi-
,, litas, à virtute infirmitas, ab æternitate
,, mortalitas: & ad perſolvendum conditio-
,, nis noſtræ debitum, natura inviolabilis,
,, naturæ eſt unita paſſibili; ut quod noſtris
,, remediis congruebat, *unus atque idem media-* 1. Tim. 2.

„ tor Dei & hominum homo Christus Jesus, & „ mori posset ex uno, & mori non posset ex „ altero. In integra ergo veri hominis per- „ fectaque natura, verus natus est Deus: „ totus in suis, totus in nostris. „

Rei gestæ seriem paucis sic accipe. Celebrabat A. 448. *S. Flavianus* CP. antistes, in eadem urbe Concilium, ad quod convenerant Episcopi XXXII. & Abbates XXIII. *Eusebius* Dorylæi Episcopus, amicus ante hac *Eutychis*, qui delirantem senem aliquoties frustrà monuerat, gliscentem errorem ejus, quem edito etiam libro per monasteria disseminabat, synodo diligenter exposuit: quæ res & Flavianum, & qui assidebant, Episcopos vehementer conturbavit. Citatur Eutyches: tergiversatur semel atque iterum: *Chrysaphii* opem implorat; tandem adest, doctrinam à se spargi cœptam præfracte tuetur; damnatur ob contumaciam, & sacerdotii honore privatur. Reclamat, appellatque sedem Apostolicam. Scribit Leoni, qui totius adhuc rei ignarus, benignas ei aures præbet, & iteratas dat literas ad Flavianum, à quo de totius rei ordine certior factus, celeberrimam illam ad eumdem dedit Epistolam, cui in *Chalcedonensi* postea synodo communi omnium voce solemnissimè acclamatum est: *Petrus per Leonem locutus est*.

Eutyches nihil remittit, nixus præcipuè *Chrysaphio* atque *Dioscoro*. CHRYSAPHIUS, Eunuchus in aula Theodosii potentissimus, quem de sacro fonte susceperat Eutyches, uti magna huic familiaritate devinctus, & erroribus ejus imbutus: ita Flaviano, à quo quæ expectaverat, dona non fuerat consecutus, gravissimè erat infensus. DIOSCORUS præsul Alexandrinus, S. Cyrilli olim archi-

diaco-

diaconus, postea successor, invidia in Flavianum pridem exulceratus, & homo alioquin corruptissimus, facilè se adduci passus est, ut caussam amplecteretur Eutychis, qui jugiter inclamabat aliud sibi propositum nihil esse, nisi adversùs novos Nestorianos catholica Cyrilli dogmata propugnare. His ergo adnitentibus, & consentiente Theodosio, obnitente primùm, ac dein annuente Leone Pontifice synodus *Ephesi* celebratur, quæ ob inauditam violentiam * *Latrocinium Ephesinum* dici consuevit. Pristinum in statum restituitur *Eutyches*. *Eusebius* autem Dorylæus, & *Flavianus* hæreseos nomine damnantur & conjiciuntur in vincula. Ad Apostolicam sedem provocat Flavianus: provocantem, *Dioscorus*, ex Episcopo factus carnifex, tot pugnis calcibusque contundit, ut intra triduum, cùm in exilium pergeret, plagarum dolore confectus martyrii palmam adeptus sit. Surrogatur Flaviano *Anatolius* Diaconus, & Dioscori apocrisiarius, qui, ut factioni isti videbatur, ab Eutyche minime erat alienus. *Dioscorus*, qui triumphare sibi omni ex parte videbatur, ne quid audaciæ vel furoris abesset, Alexandriam redux, in ipsum *Leonem Papam*, novo & inaudito hactenus molimine, anathematis jaculum vibrare aggressus est. At hic de conservando fidei deposito unicè sollicitus, orat, gemit, instat, urgetque modis omnibus, pro celebranda synodo œcumenica, qua; quæ perperam gesta erant Ephesi, retractarentur. Scribit ipse Theodosio; scribit *Valentinianus III.* Imp. scripsere reginæ. Verùm Eutychianis fabulis ac dolis irretita Theodosii mens, nullis literis, nullis precibus, nulla suorum necessitudine flecti potuit. Quin potius pu-

* Σωνοδος λῃστρικη.

blicis legibus *Flavianum* sanctissimum martyrem damnavit, & *Ephesinam II.* synodum Nicenæ jussit æquari. Non cessavit divina vindicta; si quidem haud ita multo post; equo cui insidebat collapso, graviter elisus & exanimatus est, nullo hærede relicto.

Soror ejus PULCHERIA religiosissima princeps, suffragante senatu, Imperii consortem & conjugem assumpsit MARCIANUM, cujus egregia virtus & religio facilè concessit *S. Leoni* quod hic à Theodosio frustrà conatus fuerat obtinere. Concilium œcumenicum indicitur, ad quod IV. Leonis (*a*) legati destinantur. *Nicæa* primùm designata pro loco Concilii celebrandi. Post consultius visum ut CHALCEDONE, vicino urbi regiæ oppido, synodus haberetur, quò Marcianus ipse cum Senatu commodiùs adesse posset, uti reipsa actione VI. interfuit. Haberi cœpta est 8. id. Octobris A. 431. Convenerunt Episcopi 630. Damnantur *Eutyches* & *Dioscorus*, totumque *Latrocinium Ephesinum*. Flaviani memoria honorificè restituitur. Leonis Epistola legitur, quam ut inviolabilem orthodoxi dogmatis normam, prona omnes animi veneratione suscipiunt. Dioscorus Gangram Paphlagoniæ relegatur, & in ejus locum *S. Proterius* sufficitur.

Alexandrinos pro Dioscoro tumultuantes Marcianus facilè compescuit. Verùm Ann. 357. elapsis post religiosissimi principis obitum duobus tantùm mensibus, *Proterius* à plebe per Monachos hæreticos efferata, ipso parasceves die intra baptisterium occiditur.

Se-

(*a*) *Episcopi tres, Paschasinus Lilybetanus, Lucentius Asculanus, Julianus Coensis: & Bonifacius Presbyter.*

Seditionis ductor fuit *Timotheus Ælurus*, monachus & Presbyter Alexandrinus, qui armis & aperta vi sedem Episcopalem invasit; à quo deinceps tempore Alexandrina Ecclesia toto ferè sæculo, per sectatores Dioscori, (*a*) variasque Eutychianorum factiones miserabiliter afflicta & agitata fuit. Vehementer quoque ab Eutychianis conturbata fuit Ecclesia Antiochena, præsertim à *Petro Cnaphæo*, seu *fullone*, qui adversùs *Martyrium* antistitem eam sedem invasit, & *Theopaschitarum* invexit hæresim, quæ est quædam Eutychianæ appendix, & ad Trisagium, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, has voces adjunxit: *qui passus es pro nobis*.

Constantinopolitanam Ecclesiam regebat Acacius, qui *Gennadio* successerat, homo vafer & versipellis, Eutychianæ clam addictus hæresi. Hujus suasu Zeno Imper. *Petrum Moggum*, quem antea exulare jusserat, Alexandriam revocavit An. 482. novamque fidei formulam fabricavit, in quam Catholici æquè ac hæretici consentire possent, quam idcirco Ἑνωτικὸν nuncupavit, quasi dicas *pacis Conciliatorium*; sed intacta vigentium tunc circa fidem dissidiorum materia, Concilii Chalcedonensis definitio tacitè abrogabatur. Huic Zenonis edicto Catholici constantissimè restiterunt, ac præsertim Felix III. Papa, qui Acacium anathematis sententia perculit An. 484. Post annos quatuor, *Acacius* in hæresi & schismate mortuus est.

(*a*) *Inter eos celebris est* Petrus Moggus, *quem in locum Timothei defuncti an.* 477. *haretici Alexandrini Episcopum crearunt. Sub eo* Acephali *Alexandria exorti sunt novum Eutychianorum genus, ita dictum quòd ab aliis dissentientes, nullum certum sequerentur caput, aut ducem, ipsi mox in varia sectarum abiere divertia.*

est. At non ideo vexari desiit Ecclesia, imò verò status ejus longè turbulentior fuit sub ANASTASIO Imp. qui A. 491. Zenoni successerat. Hic ex *Acephalorum* & hæsitantium numero, quin etiam Manichæis addictus, potestatem cuique fecit quam vellet sectam profitendi. Ipse interim Catholicos Antistites hostili insequebatur animo, fovebatque dissidium Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, quod annos 35. tenuit, idcirco quòd impii Acacii nomen è sacris *Diptychis*, id est, de suarum Ecclesiarum tabulis delere nollent, aut non auderent Orientales Episcopi. Factum id tandem fuit A. 519. sub *Justino* religiosissimo principe, Anastasii successore, anno sexto *Hormisdæ* Papæ, atque hoc pacto Orientalium cum Romana Sede plenè redintegrata est pax. Damnata est cum hæreticis omnibus Acacii, & successorum ejus Flavitæ, (*a*) Euphemii, Macedonii, & Timothei memoria, simulque nomina damnabilium Imperatorum Zenonis & Anastasii. Ceterùm, ut Catholicæ veritatis, regnique Christi insuperabilis virtus magis eluceat, observatu dignum est, permisisse Deum, ut, imperante *Anastasio*, omnes ubique gentium principes ab unitate Ecclesiæ forent alieni: quamquam sub idem tempus *Chlodovæus* Francorum rex, deserto paganismo, Ecclesiæ Catholicæ, cum natione cui præerat, fuerit aggregatus.

Justinus, sub quo pacem Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ coaluisse diximus, Catho-

(*a*) Flavitas *hæreticus fuit*: Euphemius, Macedonius, & Timotheus *Catholici*, *sed horum quoque memoria nota inusta est*, *quia contra Apostolicæ sedis jussa* Acacii *nomen è sacris diptychis eradere noluerunt*.

tholicos Epiſcopos reſtituit, Hæreticos variis edictis repreſſit, SEVERUM, * ex Acephalorum ſecta nefandum hominem, qui A. 513. Antiochenam ſedem per vim occupaverat, & Orientales omnes ad Chalcedonenſis ſynodi damnationem tentabat adducere, idem Imperator, exſecta lingua pepulit, qui in Ægyptum fugiens una cum quibuſdam aſſeclis ſuis, Eutychianum dogma propagare non deſtitit. Sub idem ferè tempus *Iacobus* quidam Syrus, cognomento *Zanzalus* vixiſſe traditur, qui Eutychis & Dioſcori errorem amplexus, eumdem latiſſimè propagavit, ita quidem ut ſæculo VII. omnes Eutychianorum ſectæ, ſub uno JACOBITARUM nomine fuerint comprehenſæ, ſub quo etiam uſque hodie cenſentur, qui adhuc in Oriente ſuperſunt * *Monophyſitæ*: quamquam, qui inter eos ſunt doctiores, cum Eccleſia Romana hac in parte conſentire videantur.

* *Hic Severianis hæreticis nomen dedit.*

* *Id eſt*, unius *in Chriſto* naturæ *aſſertores*.

TRIA CAPITULA.

JUSTINIANO Imperante, *Theodora* uxor ejus, mulier impotens, avara, & Eutychianis partibus addicta, multum mali Eccleſiæ attulit. Pacem quoque ejuſdem haud mediocriter turbavit celeberrima controverſia de TRIBUS, ut vocant, CAPITULIS, quæ A. 553. in *Synodo Conſtantinopolitana II.* quæ V. OECUMENICA numeratur, urgente Juſtiniano damnata ſunt, quam damnationem tandem *Vigilius* Papa (*a*) comprobavit. Ve-

(*a*) *Celebrationi hujus ſynodi diu obnixus fuit* Vigilius: *ſed impedire non valens, prævidenſque quàm exitiale ſecuturum eſſet ſchiſma ſi obſiſtere pergeret, tandem aſſenſum præbuit, ſuumque inter œcumenicas locum habuit, ex quo Romanæ ſedis aſſenſione firmata fuit.*

Verùm Occidentales Episcopi magno numero restiterunt, Afri præsertim & Illyriciani, ac maximè *Istriæ* & *Liguriæ* Episcopi, qui existimantes *Chalcedonensis* Concilii auctoritatem (*a*) læsam esse, *Schisma Aquilejense* conflarunt, quod post multos annos, cura *Pelagii II.* & *Gregorii Magni* ægrè extingui potuit.

Erant porrò tria ista Capitula, quæ tam diuturnæ contentioni materiam præbuerunt, 1. Persona & libri THEODORI Episcopi quondam MOPSUESTENI, quibus ita duas in Christo adstruxerat naturas, ut Nestorianum dogma prorsus asseruisse videretur. 2. IBÆ *Edesseni* Episcopi ad Marium Persam Epistola, in qua *Cyrillum* perinde ut *Nestorium* redarguit, *Theodorum* verò collaudat. 3. THEODORETI Episcopi Cyri, in Palæstina commentarius plus nimio aculeatus adversùs XII. anathematismos *S.* Cyrilli.

MONOTHELITÆ.

Ex Eutychiana hæresi, quam suprà descripsimus, post initium sæculi septimi infelix surculus prodiit hæreseos MONOTHELITARUM, quam dum HERACLIUS Imper. temerè à se susceptam, pertinaciùs tuetur, provocata in se numinis ira, plurimas in Imperium calamitates invexit. Ea sumpsit initium sub Ann. 630. quo Heraclius Persico bello felicissimè perfunctus, Hierapoli versabatur. Hic eum adiit salutandi caussa, ATHANASIUS

(*a*) *In synodo* Chalcedonensi *de* Personis, *non verò de* scriptis Ibæ & Theodoreti *actum fuerat: hi nempe, cùm simpliciter & sine restrictione Nestoriano dogmati* ipsique Nestorio, *ut jussi erant, anathema dixissent, à patribus suscepti, suisque sedibus restituti sunt.*

nasius quidam, qui inter *Iacobitas*, Eutychianorum, ut nuper dictum est, propaginem, Patriarchæ sibi nomen usurpaverat. Heraclius hactenus orthodoxus, benignè eum complexus, vehementerque adhorratus est, ut Chalcedonensem synodum una cum suis, debita cum veneratione susciperet, spem ei faciens obtinendi Patriarchatus Antiocheni, si id seriò præstitisset. Ea compellatione & spe illectus Athanasius, Chalcedonensem synodum se amplecti, duasque in Christo naturas agnoscere, subdola verborum professione simulavit. At homo vafer rem in aliam quæstionem divertens, rogat vicissim unamne an duas esse Christi voluntates & actiones existimet? Imperator sciscitatur à Sergio Constantinopolitano, & Cyro Phasidis * tunc Episcopo, quid sit in hac quæstione sentiendum? hi jam inde perniciosum virus hauserant à *Theodoro Pharanita* Episcopo; primo hujus erroris architecto; proinde respondent *unicam* in Christo voluntatem esse & operationem; hisque assentiente pseudopatriarcha Athanasio, in eumdem pariter assensum pertractus est Heraclius, tamque obfirmato animo novæ hujus hæreseos fautor evasit, ut A. 639. publico edicto, quod Ekthesim vocant, unius in Christo voluntatis & operationis professionem, velut certissimum fidei articulum, omnibus amplectendum tenendumque proposuerit: ita post Eutychianorum procellam, nova hæc, neque minus exitiosa tempestas, Ecclesiam multis annis vehementissimè conturbavit.

* *Qui paulo post in præmium sceleris sui* Georgio *suffectus est in sede* Alexandrina.

Post mortem * Honorii Papæ, qui denascenti Monothelitarum dogmate à *Sergio* Constantinopolitano consultus, *privatis ad eumdem literis* nimis timidè dissimulanterque

* *A. 638. 12. Octobr.*

que responderat, successores ejus *Severinus*, *Ioannes IV. Theodorus*, & *Martinus* novam hæresim coactis Romæ synodis, condemnarunt. CONSTANS Imp. *Constantini* (*a*) filius, *Heraclii* nepos, qui avi quàm patris similis esse maluit, suadente *Paulo* (quem in locum (*b*) *Pyrrhi*, Constantinopolitanæ Ecclesiæ præficiendum *Constans* curaverat) novum edictum A. 649. sub nominé TYPI promulgavit, quo unius, aut duarum voluntatum professio peræque vetabatur. *Typum* hunc Constantis cum tota Monothelitarum doctrina eodem anno, in synodo Romæ habita damnavit *S. Martinus*, quem propterea diris modis persecutus est Imperator, donec A. 654. Chersonæ in exilio vitam finiit. Constans verò post multa crudelitatis argumenta, A. 668. à suis interfectus est. Sub *Constantino Pogonato* filio ejus, principe catholico & justitiæ studioso, orthodoxa religio (*c*) refloruit, eoque adnitente A. 686. VI. SYNODUS celebrata est Constantinopoli, in quâ anathematis * „ damnatione mulctati sunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus, Alexandrinus, Sergius, „ Pyrrhus, Paulus, Petrus Constantinopolitani, cum HONORIO, qui flammam hæretici dogmatis, non, ut decuit, Apo- „ stolicam

* S. Leo II. *Ep. 2. ad Episcopos per Hisp. const.*

(*a*) *Hic pius &* Catholicus *fuit*, Martinæ *autem noverca veneficio sublatus eodem anno* 641. *quo* Heraclius *miserè periit*.

(*b*) *Hic A.* 639. Sergio *successerat*. *Pulsus A.* 642. *restitutus post* Pauli *mortem A.* 652. *post IV. menses in hæresi mortuus est*.

(*c*) *Sopitam Monothelitarum hæresim resuscitare conatus est* Philippicus Bardanes *invasor Imperii*, *intruso in sedem CP.* Joanne VI. *homine scelerato & hæretico*, *per quem* sextam synodum *proscribendam curavit*, *an.* 712. *sed ipse an.* 713. *in exilium pulsus est*; Joannes *vero anno sequente sua sede dejectus*.

„ ſtolicam auctoritatem, incipientem extin-
„ xit, ſed (*a*) *negligendo confovit*.

Num. VI. Series Religionis ab exortu MAHOMEDIS, *usque ad* LUTHERUM.

Tot diſſenſiones, tot ſectæ, tot hæreſes & ſchiſmata, quæ Conſtantinopolitani Imperatores plerumque, aut tuebantur, aut fovebant, cùm juxta ſui muneris rationem deciſiones Eccleſiæ adversùs refractarios ſua auctoritate tueri & executioni mandare debuiſſent; Orientis provincias fœdè laceraverunt, inſignemque morum depravationem undique invexerunt. In utriuſque mali caſtigationem permiſit Deus, ut ſecta exoriretur ceteris omnibus perniciosior, MAHOMEDIS ſcilicet, celeberrimi illius *Arabum* ſeductoris, à qua brevi tempore prodigioſa confuſio & ſubverſio conſecuta eſt. *Vide* Baronio *ad A.* 630. Deformitati monſtri hujus, quod peperit & enutrivit Oriens, monſtra cedere neceſſe eſt omnia, quæ ſive *Danieli*, ſive *Ioanni* Apoſtolo divinitus demonſtrata feruntur, ad aliquod grande malum ſignificandum. Præcurſorem quidem Antichriſti hunc omnium ſceleſtiſſimum extitiſſe haud immeritò exiſtimavit * *S. Ioannes Damaſcenus*. * *Lib. de hæreſib. in fine.*

MAHO-

(*a*) *In* privata *illa* Honorii *ad privatam* Sergii *epiſtolam reſponſione, nihil continetur quod hæreſim apertè ſapiat, aut doceat, ſed per nimiam puſillanimitatem ea verborum ambiguitate uſus eſt, qua hæreſiarchæ placere & adblandiri poſſet: cùm tamen ei ex officio incumberet erumpentem hæreſim, injuſtaſque* Sergii *adversùs fortiſſimum Monothelismi debellatorem* Sophronium *querimonias retundere. Ceterum S. Sophronius, tunc monachus, & inſigniſſimus fidei athleta, Hieroſolymitana Eccleſiæ poſtea Antiſtes factus eſt. Egregius quoque eodem ſæculo Orthodoxæ fidei contra Monothelitas defenſor, & confeſſor fuit* S. Maximus *Abbas, qui in exilio m. 662. 13. Aug.*

MAHOMETANI.

Veterator iste patre gentili, matre Judæa, infimæ sortis hominibus, in Arabia natus, servus primùm & camelis pascendis addictus, ac literarum planè rudis, cùm in Palæstinam profectus esset, ibique versatus cum Judæis & Christianis, ab iisdem aliqua religionis rudimenta percepit. Cùm autem vafer esset ingenio, gratiam iniit apud heram suam, eoque paulatim progressus est, ut ejusdem nuptias fuerit consecutus: Mox aliquid se valere animadvertens inter populares suos, rudes planè & ignorantes, magnaque ex parte Paganismi adhuc tenebris obvolutos, in *Prophetam* sese erigere aggressus est, ipso utens comitiali morbo quo sæpè corripiebatur, in argumentum supernæ revelationis sibi per Angelum Gabrielem identidem repetitæ. Adjutorem habuit *Sergium* quemdam monachum * *Arianum*, qui & novas istas *Mahomedis* insanias conscribebat, & uxori ejus ceterisque persuadebat, eum ab Angeli conspectu atque colloquio consternari. Non satis ei erat ut propheta à suis haberetur, *Princeps* etiam & *Legislator* haberi voluit. Ut porrò populos omnes ad se alliceret, ex cunctis fermè aliqua miscuit: nempè ex *Iudæis*, circumcisionem, Dei unius cultum, & abstinentiam à carne suilla proposuit; ex *Christianis* Christi nomen, ita tamen ut eum Ariano, aut Nestoriano ritu colendum doceret. Ex *paganismo* aliqua retinuit; utque omnes fæces ab unitate Catholica ejectas suæ sectæ adjungeret, ex variis varia, ac speciatim ex *Manichæis* illud de Christo accepit, ut eum cruci nequaquam affi-

* Nestorianum fuisse multi censent.

affixum diceret, sed dumtaxat umbram ejus, crucemque adeò penitus abominaretur. Id quoque ab iisdem mutuari potuit, ut vino, quod Manichæi per se immundum putant, suis interdiceret. At hanc qualemcumque abstinentiam abundè pensavit, cùm voluptariis istis hominibus (ipse voluptatis mancipium, stupris, & adulteriis, religionis etiam velo contectis, infamissimum) *Polygamiam* indulsit. Cùm igitur sectam istam ita ex Judaismo, Arianismo & Paganismo conflatam, propagare conaretur, exorta ob id persecutione, fugam arripere coactus est, A. 622. 16. Julii, qui primus est annus *Hegyræ*, hoc est, persecutionis, unde Mahometani omnes, annos suos numerare incipiunt.

Cùm *Hæraclius* victor ab expeditione Persica reverteretur, gratulabundus ei occurrit *Mahomedes*, qui jam Saracenorum occupare cœperat principatum, & ab eo agrum terramque obtinuit, quam cum suis incoleret. Sed quanto id Imperii malo concessum esset, brevi postea patuit. Adhæsere ei primùm aliquot Judæi, rebus suis ab ejus doctrina, gliscentique potentia benè ominantes, at ubi istam paulo penitius cognoverunt, confestim se subduxerunt; non destiterunt tamen commovere eum adversùs Christianos. Ceterùm obtendebat assiduè *Mahomedes* id unum sibi propositum esse, ut populi omnes ab idololatria recederent, Deumque in cœlis unicum adorarent. At de ineptiis suis vetabat impostor inquiri, persuasitque sectatoribus suis, grande piaculum fore, si disputare unquam vellent de veritate rerum, quas iis credendas tenendasque tradebat.

Vide suprà pag. 174. *ubi etiã reperies* mortuum *esse* Mahomedem, *An.* 1. 63

Non malè forsitan dixeris *Mahomedem* in

illis

illis Orientis regionibus, ZOROASTRIS (quod ad imposturam attinet) fuisse successorem. Fuerat ille (ut novis quibusdam * auctoribus videtur) *Darii Hystaspis* tempore, impostor celeberrimus, auctorque restitutæ, simul ac reformatæ religionis *Magorum* in Perside, quæ ibidem XI. ferè sæculis floruit, usque ad ultimum novi Persarum regni principem *Iesdigerdem*: quo toto tempore in eadem illic veneratione fuit *Zoroastres*, qua apud Mahometanos hodie est *Mahomedes*. Imposturam illius hic imitatus est, ac majori etiam successu. Nam licèt Zoroastres literatissimus esset, Mahomedes verò omnium litterarum rudis; illius tamen religio non pervasit nisi Persidem, quamdamque partem Mesopotamiæ, Arabiæ & Indiæ; hujus verò, præter regiones istas, non modicam reliqui orbis partem inundavit, sub auspiciis duorum potentissimorum Imperiorum, *Saracenorum* primò, ac deinde *Turcarum*, qui alii post alios dominatum suum longè lateque propagantes, jugum quoque religionis suæ, subactis à se populis sensim imposuerunt. Quamvis autem Mahometani religionem suam vi armorum propagarent, non abrogabant tamen Christianam, ubi hæc stabilita erat. Nimis absurda erat nova ista impostoris doctrina, quàm ut ab iis, qui veræ religionis lumine illustrati aliquando fuerant, facilè reciperetur: si quidem pseudopropheta iste missionis suæ fidem exigebat sine miraculis, sine præcedentibus propheriis, imò citra omne ratiocinium. Ignorantia Arabum, successus armorum, accurata prædæ partitio, divisiones Christianorum, nationum Orientalium ad carnales voluptates violenta propensio, super omnia verò occul-

* *Vide* Prideaux *Hist. Judæo.* p. 1. *lib.* 4. *Anno Darii* 36. *ante Chr.* 486.

occultum justumque Dei judicium, quo nostrorum peccata castigari, fidem excoli, moresque purgari oportuit, solæ sunt caussæ, à quibus repetendus est prodigiosus iste Mahometanæ superstitionis progressus, quo tot paulatim populis persuasum fuit, hominem vanissimum ac turpitudinis mancipium, prophetam esse missum divinitus, ut in locum immaculatæ Christi religionis, somnia sua & phrenetici cerebri deliras nænias substitueret.

Ceterùm Christiani illi, quos à sæculo VII. & VIII. subigere cœperant Mahometani, diu iis paruerunt, priusquam eorum doctrinæ, aut religioni ulla ex parte possent assuescere. Post annos demum ducentos, longa jam servitute & succrescente in dies ignorantia enervati, minùs ab eadem abhorrere cœperunt. Seducti etiam fuere frequentissima divini nominis repetitione, & assidua inculcatione *unitatis* ejus. Mahometismus insuper, aliquantùm jam ætate provectior, fabulis exornari cœptus est, quibus fucum facerent ignorantibus; adeò ut minùs mirandum videatur multos è vulgo, torrente illo fuisse abreptos, quàm, sub tali jugo tantaque vi consuetudinis, non omnes fuisse subversos. Ingens Christianorum numerus, qui post XI. sæcula, in regionibus illis usque hodie superest, indicio manifesto est, quantum sit Christianæ religionis robur atque stabilitas; quanta verò, in armorum etiam summa potentia, sit *Mahometismi* infirmitas. Hanc porrò sectam semper tum à Latinis, tum à Græcis, fortissimè confutatam invenies, miraculisque plurimis erroris esse convictam; cùm Deus per miracula fidem certam faciens, suos in errorem duci non

siverit,

ſiverit, ſed mille ſignis voluerit, ſingulis planè ſæculis, falſitatem ejus aperta luce monſtrari.

ICONOCLASTÆ.

Vix ab exortu Mahometanorum centum anni effluxerant, cùm priſtinis malis novum adjungi permiſit Deus, ab *Iconoclaſtarum* rabie, quæ per impietatem principum, novis Orientem motibus vehementer conturbavit. His perſuaſum fuit, Judæis ac Saracenis auctoribus, imagines Chriſti & Sanctorum, haud ſecùs ac idola gentium, confringendas & abolendas eſſe, ipſaſque adeò artes pictoriam atque ſculptoriam, velut res per ſe noxias, à Chriſtianis eliminandas eſſe.

Prima abſurdiſſimi erroris origo repeti ſolet à duobus impoſtoribus natione Judæis, qui prophetiæ donum ſtulta ſibi vanitate arrogantes, *Ieſidi II.* Saracenorum principi, proſperrimum annorum quadraginta Imperium promiſerunt, ſi modo is receptas in Chriſtianorum templis imagines aboleret. Ea ſpe illectus, nihil iſte omiſit, quo minùs id ſtrenuè perficeret. At intra ſeſqui annum miſerrimè periit. Fugiunt ergo Sycophantæ, caſuqe incidunt in *Cononem* * quemdam natione *Iſauricum*, vilem tunc abjectæque conditionis hominem, cujus mirati faciem & ſtaturam, Imperium ei vaticinari auſi ſunt, unam ſibi in eum eventum petitionem reſervantes, quam hic libenter in ſe recepit. Veteri igitur conditione relicta, *Leonis* nomen *Conon* aſſumit, militiæ ſe adſcribit: ac potiundi ſpe Imperii aſſiduè ſtimulatus, res multas præclarè gerit, donec per varios gradus A. 717. ad ſupremæ dignitatis

* *Qui poſtea* Leonis *nomen aſſumpſit.*

tatis culmen evehitur. Judæi, quos diximus, ad gratulandum admissi, novum Imperatorem, veteris promissionis memorem faciunt, postulantque, ut, ad idololatriæ exitium, per totum Imperium abolendas curet imagines. Pollicetur Leo id se facturum, mox ubi firmato Imperio securè id effici posse videbitur. Circa A. 726. rem aggreditur, duobus præsertim consiliariis usus, hominibus flagitiosissimis, *Constantino* Naeoliensi in Phrygia majori Episcopo, & *Bezere* quodam, qui ex Christiano factus fuerat Mahometanus.

Indignitatem rei detestati, totis viribus se opposuere catholici, ac præcipuè Constantinopoli, *S. Germanus* ejusdem urbis Episcopus; Romæ *Gregorius II.* & qui eum subsecuti sunt Pontifices. Furit & sævit Leo. Italia ea occasione tota ferè à Græcis deficit. S. Germanus fidei catholicæ defensor eximius A. 730. sede sua dejicitur, in exilium pellitur, moxque strangulatur, cùm jam esset ferè centenarius. Discipulus ejus *Anastasius*, homo impius, & magistri sui proditor, ei substituitur, quem una cum Leone Isaurico *Gregorius II.* in Romana synodo anathemate perculit. Pergit furere Leo, cujus inter ceteros rabiem sanctus quoque *Joannes Damascenus*, imaginum & avitæ fidei defensor egregius, licet extra Imperii fines, sub Saracenorum ditione viveret, expertus fuisse dicitur. Leoni A. 741. mortuo succedit filius *Constantinus Copronymus*, patre pejor hæreticus, qui præter imagines, Sanctorum quoque reliquias, & invocationem sanctissimæ Dei genitricis Mariæ impetere aggressus est. Pellitur ab *Artabasdo* sororis suæ marito: at paulo post restitutus, sævit vehementius. Ut

autem impietati suæ auctoritatem adderet, A. 754. Constantinopolim CCCXXXVIII. convocavit Episcopos, quorum conciliabulo damnandas curavit imagines. Hujus decreto strenuè obnitentes monachi aliique Catholici, Constantinopolitana urbe ejecti sunt. Gallos interea in sententiam suam per legatos pellicere tentans Imperator, hoc unum retulit, ut ab his nova hæresis A. 767. in *Gentiliacensi* synodo damnaretur. Idem quoque factum fuisse traditur in quodam concilio, trium aliorum Patriarcharum jussu, *Hierosolymis* celebrato. Ab hujus concilii patribus, Epistola synodica Romam missa est, ibique comprobata. Dantur ad Copronymum literæ, quibus nihilo melior effectus, à sua in Orthodoxos crudelitate nihil remisit, donec A. 775. extinctus est. Hujus filius *Leo IV.* Chazarus dictus, licet initio Catholicis favere videretur, Iconoclastarum tamen hæresim, velut hæreditatem jam avitam, animo conservabat, ac proinde imagines non restituit. Servabatur id ejus conjugi *Irenæ*, filioque *Constantino VI.* sub quibus post LX. annos atrocissimæ tempestatis, Catholicus cultus restitutus est, auctoritate VII. synodi Oecumenicæ, quæ præsidentibus *Adriani I.* legatis A. 787. adversùs Copronymi pseudo-synodum, in Nicæa urbe Bithyniæ, à 350. patribus celebrata est.

Subsecuta est paulo post, anno scilicet 794. synodus Occidentalis, FRANCOFORDIÆ ad Mœnum habita, ad quam Episcopi ex universo Francorum regno convenerant, adversùs errorem duorum in Hispania Episcoporum, *Felicis* Urgelitani, & *Elipandi* Toletani, qui Christum, *Adoptivum* Dei filium asserentes, Nestoriani dogmatis errorem instaura-

staurabant. Actum etiam hìc fuit de *Sacris imaginibus*, eoque res processit, ut patres Francofordienses acta VII. synodi, ob infidam versionem, pluriumque factorum ignorantiam, perperam à se intellecta, rejecerint, tametsi nihil, quod præfatæ synodi decisionibus contrarium esset, definierint. Ceterùm vigentibus tunc adhuc in Gallia & Germania Ethnicorum superstitionibus, nonnulli ex ea regione Episcopi, inter quos *Agobardus* Lugdunensis, aliquanto duriùs de imaginibus locuti sunt: sed rebus pleniùs elucidatis, mutatisque temporum circumstantiis, sine ullo aperto dissidio res tota transacta est. In Oriente autem sæculo IX. varii Imperatores Iconoclastarum partibus addicti, persecutiones adversùs orthodoxos renovarunt. In his *Nicephorus*, *Leo Armenus*, *Michael Balbus*; ac præsertim *Theophilus*, qui priores omnes crudelitate superavit. Eo mortuo A. 842. *Theodora* conjux ejus, mulier religiosa & apprime catholica, cùm pro filio Michaele Imperium administraret, rem catholicam ita restituit, ut Iconoclastæ in Oriente tumultuari desierint. At eorum error in Occidente resuscitari cœpit sæculo XII. sub annum 1126. per *Petrobrussianos* primùm, dein per *Henricianos*, posteà per *Albigenses*. Post annos 200. per sectatores *VVicleffi*, per *Hussitas* in Bohemia: per *Carlostadium* VVittembergæ, contradicente & obnitente Luthero: denique per *Zwinglii & Calvini* asseclas, Leonum, Copronymorum, & Theophilorum hac in parte æmulatores strenuos. Hi si talibus gloriantur auctoribus, nos eos sanè illis minimè invidebimus; quin etiam per nos licebit, ut iisdem adjungant *Judæos & Saracenos*, à quibus furor iste sumpsit exordium.

SCHISMA GRÆCORUM.

Nondum sedatus satis erat *Iconoclastarum* in Oriente tumultus, cùm funestius durabiliusque malum exortum est, ab unius hominis ambitione & contumacia. Is PHOTIUS fuit, de quo meritò ambigi potest, quisquamne ante eum alius, plus unquam in Ecclesiam mali invexerit, siquidem ab Ecclesia Latina, Orientem abstraxit, erroresque suos & schisma, in omnem Græcorum posteritatem propagavit. Homini nequissimo, in quo nulla unquam fides, perfidia summa, crudelitas, contumacia, & intolerandum supercilium, præcipuè ferri debet acceptum, quod Orientales Ecclesiæ à centro unitatis Catholicæ, separatæ, abjectissima usque hodie, sub infidelium jugo, servitute premantur.

Sede Orientalis Imperii Constantinopoli constituta, jam inde à quarto & quinto sæculis, Episcoporum urbis illius ambitio, super alios se efferre gestiebat. *Romanæ* sedis primatus, & successorum Petri ceteris omnibus supereminens auctoritas, constanter ab Orthodoxis omnibus agnita semper fuerat, nec de ea re, in octo Conciliis Oecumenicis, quæ in Oriente celebrata sunt, dubium ullum motum unquam fuit, *Alexandrina & Antiochena*, dignitatis & auctoritatis ordine sequebantur. *Hierosolymitanæ*, ob venerationem originis, à qua Religio Christiana processerat, in *Nicæna* synodo *Patriarchalis* honoris dignitas, quartusque locus fuerat attributus. In secunda, & quarta synodis, *Constantinopolitanæ* urbis præsulibus, *secundus* locus honoris adscribi cœptus est; at

at sede Apostolica reclamante. Crevit horum præsulum ambitio sub finem sæculi sexti, cùm *Joannes IV.* & successor ejus *Cyriacus*, sancti Gregorii Papæ temporibus, *Oecumenici Patriarchæ* titulum sibi arrogare cœperunt, quos sanctissimus ille Pontifex pro sui muneris ratione repressit. Sæculo IX. res in apertum schisma, hac, quam paucis dicturi sumus, occasione prorupit.

Imperante Michaele III. S. IGNATIUS Michaelis Curopalatæ Imperatoris filius, quem Leo Armenus, jussu suo castratum, in monasterium detruserat, Constantinopolitanum Patriarchatum post *Methodium* adeptus est, A. 847. Post annos XI. in eo munere piè sanctèque transactos, 858. *Bardas* Cæsar, Theodoræ Augustæ frater, & Michaelis III. avunculus, Ignatium per calumniam majestatis reum egit, & sua sede dejectum, in insulam deportandum curavit, ubi omni ærumnarum genere exercitam vitam traduxit. Persecutionis caussæ fuerunt, quòd vir sanctus *Gregorium Syracusanum* coacto concilio justa sententia exauctorasset: quòd Michaeli Imperatori Theodoram Aug. matrem suam in monasterium detrudere conanti restitisset: ac præsertim quòd *Bardam* Cæsarem ob incestam cum nuru stupri consuetudinem, ab * oblatione solemni repulisset & communione privasset. *Die Epiphania. A. 855. Substitutus est Ignatio *Photius*, (*a*) homo laicus, qui jam pridem animo schismatico à præsule suo vehementissimè dissi-

(*a*) *Erat nepos* S. Tharasii *Episcopi CP.* (*qui an.* 806. *obierat*) *dignitate Protospatharius*, *& Imperatori à secretis*, *vir planè doctissimus*, *ut ex ejus scriptis liquet*; *sed suprà omnem modum ambitiosus*. *A Gregorio Syracusano*, *Episcopo excommunicato atque deposito*, *aliisque pariter excommunicatis*, *ordinatus est*.

dissidebat. Quinque diversis conciliis Ignatium Photius damnavit & exauctoravit. Primum Constantinopoli celebratum est Ann. 860. Legati à *Nicolao I.* Papa pro hac caussa istuc missi, minis Imperatoris fracti, donisque à Photio propitiati, fidem prodiderunt, synodum & electionem Photii comprobantes. Nicolaus re comperta, An. 863. coacto Romæ concilio, Photium damnat, legatos anathemati subjicit, & Ignatium restituit. Furit Photius, mortalium audacissimus & ambitiosissimus, omniaque perfringens repagula, vicissim in Nicolaum sententiam non dubitavit dicere. Patriarcham Oecumenicum se inscribit. Adversùs Ecclesiam Latinam ejusque doctrinam insurgit, multa (*a*) illi crimini vertens, ac præcipuè quòd doceret Spiritum Sanctum à *Patre Filioque* procedere, quodque vocem *Filioque* Symbolo inseri passa fuisset. Novum concilium convocat An. 867. sed eodem anno *Basilius Macedo* sublato Michaele solus imperans, Catholicam pietatem inprimis coluit, ejusque jussu redit ab exilio S. Ignatius, Photioque expulso, restituitur. Excommunicatur iterum Photius ab Adriano II. Ann. 868. celebratur anno sequenti VIII. SYNODUS, Constantinopolitana IV. (*b*) præsidentibus Adriani Papæ legatis, ubi omnia quæ pro Ignatio contra Photium gesta fuerant, confirmantur.

Magnus tunc erat Basilii Imp. zelus pro pace

(*a*) *Pleraque frivola ac nullius momenti, de jejunio sabbati: de ovorum esu in quadragesima permisso, de rasione barbæ &c. Nulla adhuc mentio de Azymo.*

(*b*) *Aderant aliarum sedium Patriarchalium deputati. Episcopi 102. Majorem numerum artibus suis & potentia corruperat Photius.*

ce Ecclesiæ restituenda. At paulò pòst mutatus factusque ab Ecclesia Romana alienior, fraudibus & vi usus est, ut Orientalium subscriptiones legatis eriperet. Nihilominus Romam delatæ sunt & approbatæ.

Photius An. 874. in aulam revertitur, suisque & cujusdam monachi *Santabareni* præstigiis, Basilii Imp. gratiam occupat. Quocirca mortuo An. 878. S. Ignatio, Constantinopolitanæ sedi restituitur. Consentit tandem *Ioannes VIII.* Papa, haud satis prævidens, quàm id funestum futurum esset Ecclesiæ. Anno insequente Photius novum Constantinopoli concilium 380. Episcoporum celebrare ausus est, in quo octavam synodum abrogans, hoc suum conciliabulum eidem substituit, quod solùm usque hodie agnoscunt Græci schismatici. *Marinus* Papa hæc omnia A. 882. in irritum vocat. Excandescit Imperator totus jam Photianis partibus addictus. Photius communionem cum Ecclesia Latina novo furore abrumpit. Verùm contumaciæ suæ fructum haud diuturnum habuit. *Leo VI.* cognomento *Philosophus*, mox ut à morte patris ad Imperium pervenit, Santabarenum, cui pridem infensus erat, ejecit, ejusque fautorem Photium, sede sua dejectum, in monasterium relegavit. Quo autem anno, aut quo mortis genere, infelicissimi schismatis superbissimus auctor extinctus sit, incertum est.

Post mortem ejus divisionis semina identidem germinarunt. Sub annum 981. *Photiana* factio recrudescere cœpit sub Nicolao Chrysobergo Ep. CP. Vehementius sub *Sisinio* ejusdem successore, qui circa An. 995. encyclicam Photii Epistolam quam ad alios Patriarchas & præsules Ecclesiarum Orienta-

talium, contra Romanos Pontifices ediderat, suo nomine redintegrare paravit, id quod *Sergius*, qui illi anno circiter 998. successit, dicitur perfecisse. Schisma longiùs propagatum est sæculo sequenti per MICHAELEM CÆRULARIUM. Hic A. 1043. contra statuta canonum perperàm ordinatus, ideòque sibi metuens à Romana sede, quam nutricem canonum & justitiæ vindicem semper fuisse noverat; ut se tutum redderet, bellum ab aliis inchoatum, acriùs urgere constituit. Cum ceteris doctrinæ capitibus, panem quoque *Azymum*, quo in celebratione sacrificii incruenti Ecclesia Latina utitur, quem *Photius* non attigerat, primus aggressus est. Eo etiam vesaniæ processisse traditur, ut baptizatos à Latinis, rebaptizari voluerit. Tametsi verò & anathemati subjectus & (a) sede sua pulsus fuerit, schisma tamen haud mediocriter propagavit.

Tametsi porrò pleræque Ecclesiæ Græcorum hoc & sequenti sæculo, cùm Ecclesia Latina externum communionis vinculum non abrumperent, vigebant tamen sensimque crescebant dissensionum & tristissimi schismatis semina usque ad captam à Latinis Constantinopolim. Sub *Balduino* autem & Francis, ab A. 1204. usque ad 1261. res Catholica aliquantum Constantinopoli respiravit.

(a) S. Leo *IX. Papa* Michaelem Cærularium *ad unitatem Ecclesiæ modis omnibus revocare conatus est. Tres idcircò Constantinopolim legatos misit, quorum antesignanus erat vir doctissimus* Humbertus *Cardinalis Ep. Silva candida. Hi à Constantino Monomacho Imp. an. 1053. honorificè excepti, cum Michaele contulerunt, quem tandem ob contumaciam in Ecclesia S. Sophia anathemati subjecerunt. Nihil ille de pertinacia remittens, Legatos ipsumque Pontificem vicissim excommunicare ausus est: sed mox ab Imperatore ejectus.*

spiravit. Capta per Michaelem Palæologum Constantinopoli, Græci, qui Catholicis adjunxisse se visi fuerant, ad Schisma apertissimè relabuntur. In Concilio *Lugdunensi II.* A 1274. catholicam unitatem ejusdemque professionem fidei amplecti se velle professi sunt: at mortuo *Michaele Paleologo* A. 1283. sub *Andronico* filio ejus, qui animum Schismaticum numquam exuerat, ad vomitum revertuntur. Angustiis pressi, ob imminentem cervicibus suis Turcarum potentiam, Ecclesiæ rejunguntur A. 1439. in Concilio *Florentino*. Hic agnovere processionem Spiritus S. à Patre & Filio, & vocem *Filioque* rectè addi potuisse Symbolo: agnovere primatum Romani Pontificis: dari quoque post hanc vitam Purgatorium: panem azymum rectè ad sacrificium adhiberi posse; unicuique autem, Ecclesiæ suæ ritum hac in parte esse sequendum. Ita pax coaluit, sed quæ brevi post tempore disrupta est, præcipue per *Marcum Ephesinum*, qui concordiæ semper obstiterat, perque trium aliarum sedium patriarchas. Hi per legatos suos conventu Hierosolymis habito unionem cum Ecclesia Latina damnarunt, Episcopum CP. velut fautorem hæreseos Latinorum, communione privarunt, ipsique Imperatori anathematis minas intentare ausi sunt, nisi à Latinorum communione cessaret. Major ergo iterum pars Orientis in schisma relabitur, eique pertinaciter inhæret. Capitur à Turcis Constantinopolis, sedes Imperii, A. 1453. Feria III. post octavam Pentecostes, manifesto divinæ ultionis indicio. Obdurantur Græci in schismate, perguntque miserrimam servire servitutem.

Quæ fuerit, per idem temporis intervallum, Religionis series in Occidente.

Inter tot funesta mala, quibuscum sæculis istis Ecclesiam luctari oportuit, verbum Dei non erat alligatum, quo minus Christi regnum & floreret & propagaretur. Catholica fides, ab Apostolis prædicata, totoque dein orbe recepta, illibata erat magisque in dies proficiebat in *Occidente*. Apostolica fedes, ad quam, protegente Deo, perfidia non habet accessum, indefesso semper studio, invictaque contentione defendebat susceptæ semel religionis integritatem. *Franci*, duce *Clodoveo*, abjectis superstitionibus ethnicorum, Christiani facti fuerant atque Catholici, eorumque deinceps reges non immeritò dicti *Christianissimi*, Ecclesiam Matrem suam fortissimè tuebantur. *Gothi* cum *Reccaredo* rege, deserta perfidia Ariana, Catholicam fidem, quam amplexi fuerant, dilatabant. Eamdem fovebant *Langobardi* in Italia, postquam relictis Arianis, profiteri eam cœperant sub *Ariberto* rege A. 660. *Angli*, ethnica natio ex Saxonum vicinia profecta, sub auspiciis *S. Gregorii Papæ*, per *Augustinum* monachum sociosque ejus, fidei veritatem agnoverant. Florebat religio etiam in *Hibernia*, quæ *Sanctorum Insula* dici aliquando meruit. Sæculo VII. & VIII. propagabatur in *Belgio*, magis etiam magisque penetrabat in *Germaniam*, *Sueciam*, *Daniam* atque *Norvvegiam*. Transiit & in vastissimas Majoris Russiæ, sive *Moscoviæ* provincias, quamquam hic progressu temporis, Græcorum schismate fuerit depravata.

Novum quoque decus religio accepit sub

Caro-

Carolo Magno, novi in Occidente Imperii instauratore, qui tota vastissimæ dominationis suæ potentia, majestatem Catholicæ fidei propugnavit, & Petri successores, à quibus ad Imperatorii nominis dignitatem fuerat exaltatus, vicissim ipse augere studuit & exaltare. Verbo, quanto in Oriente latiùs disseminabatur Mahometica superstitio, tanto quoque latiùs in Occidente diffundebatur Religio Christiana, cui uni etiam acceptum ferendum est quidquid in ulla usquam hodie religione extat boni: quòdque abolita Barbarica crudelitate, humanitas toto jam fere orbe sit stabilita. Verum utique semper erit, id quod contra *Celsum* repetere solebat Origenes, totum qua latè patet orbem, à Jesu Christo Domino nostro fuisse reformatum.

Quamquam verò *Sæculo X.* ignorantia & dissensio non parùm in Occidente invaluerint, permiseritque Deus, ut intrusiones & expulsiones fere essent continuæ, in illa etiam sede sacratissima, in qua, & per quam, Ecclesiastica disciplina præ ceteris hactenus fuerat conservata; in hoc tamen singularis ejus protectio enituit, quòd nulla tunc nova hæresis, aut secta prodierit. Quin etiam temporibus illis maximè nubilosis, quantacumque vigere videretur, ignorantia, ea erat Euangelii vis & efficacia, ut omnes à majori usque ad minorem, ipsæ etiam mulieres aliunde ignorantissimæ, Deum unum vivum & verum, ejusque filium Jesum Christum humani generis Salvatorem, constantissimè & crederent & confiterentur; haberentque etiam pro indubitatis, magna illa Christianæ doctrinæ documenta moralia, de quibus, vigente paganismo, Græcorum Roma-

norumque Philosophi (ceteris nihil ista curantibus) indesinenter contendere ac disceptare solebant.

Post mille annos à Christi Servatoris nativitate evolutos, tot undique procellis motibusque concussum est regnum Christi, ut videri potuerit *Satan* vinculis, quibus antea ligabatur, exsolvi. Dissensiones & *contentiones* acerrimæ inter summos religionis antistites, & Imperatores Occidentis; *schismata* inde nascentia per intrusiones *antipaparum*; *Albigenses* & *Valdenses* hæretici *Wicleffi* dogmata; *Ioannes Hus*, ejusque in Bohemia sectatores; dirissimum *schisma* annorum amplius XL. quo orbis Christianus in partes divisus, diversis Pontificibus, ceu Christi Vicariis, adhærebat; destructo insuper per *Mahometem II.* Imperio Constantinopolitano, *Turcarum* potentia, in Christianorum perniciem, immodicè adaugescens; hæc omnia fluctuanti Petri naviculæ exitium minitari videbantur: nec erant tamen nisi prælusiones quædam malorum graviorum, quæ à novis hæresibus Occidentis oritura erant, & Ecclesiam quasi diluvio quodam inundatura. Sed ex his omnibus obnubilationibus, gloriosior Ecclesiæ splendor emicuit.

Solent *Protestantes*, ut aliquam sibi successionis seriem fingant, in majorum suorum numerum adsciscere *Albigenses*, *Valdenses* & *Hussitas* quos etsi iis minimè invideamus, certum tamen est præter errores aliquot, ac præsertim implacabile odium adversùs Romanæ sedis antistites, nihil ferè illos cum his habere commune. Quod si etiam vera ab iisdem successione descenderent, nihil istic aliud haberent præsidii, nisi quòd ejusdem criminis, innovationis nempe & schis-

schismatis, aliquot sibi complices reperissent.

ALBIGENSES

Veri nominis *Manichæos* fuisse, ex scriptoribus coætaneis abundè demonstrasse videtur * *Bossuetius*. Horum capitalis error fuit, statuere duo prima rerum principia, alterum bonum, fontem omnis boni; alterum malum, originem omnis mali. Error iste ex paganismo derivatus, cujus & in Platonis libris semina reperiuntur, apud *Persas* præcipuè viguit. Ex his oriundus *Manes*, imperante Aureliano, christianam doctrinam ista lue conspergere aggressus est: at non primus, nam viam ei jam inde *Marcion* præparaverat.

* *Hist. Variat. lib. XII.*

Ex tam absurdo principio elicuere Manichæi consecutiones absurdiores. Vetus Testamentum ad fabulas relegatum, vel certè malo principio attributum. Conjugii, carnis etiam & vini usus interdictus. Verbi Incarnatio, Christique corpus, ad phantasmata relegata. Secta hæc, qua nulla per hypocrysim, & orthodoxæ religionis simulationem, seducendis animis aptior unquam fuit, licet acerrimè damnata legibusque proscripta esset, occultè tamen serpebat & conservabatur. Faverat ei * *Anastasius* Imp. pauloque post eidem favisse creditur *Theodora* Aug. Justiniani conjux. Sub *Heraclii* filiis sæculo * sequente, in Armenia, regione vicina Persidi (è qua olim prodierat) deprehensa est, sub nomine *Paulicianorum*. Hi sensim invaluere sub protectione Saracenorum, & favore *Nicephori Imp.* qui sub initium sæculi IX. in eos se propensum præbuit: usque adeò ut occupatis oppidis, auctaque potentia,

* *M. 518.*

* *Septimo.*

tia, Theodoræ Aug. Basilii conjugi eos persequenti, aperto bello resistere ausi fuerint, quod regnante Basilio Macedone diu productum fuit.

Ad *Bulgaros* se extenderunt sub finem sæculi IX. cùm paulo antè gens illa Christianam fidem suscepisset. E Bulgaria in *Germaniam* proruperunt; mox etiam in Italiam; inde autem & in Galliam. Initio ergo sæculi XI. novi Manichæi detegi cœperunt Aurelianis in Gallia. Vesaniam istam mulier quædam ex Italia eo advexerat, à qua *Heribertus* & *Lisojus*, Canonici Aurelianenses, usque ad stupendam pertinaciam seducti sunt. Eodem circiter tempore deprehensum fuit; hæresim illam in Galliam Narbonensem penetrasse, unde eam in Aquitaniam, atque Tolosates præcipuè, primus, sub A. 1126. invexisse creditur *Petrus Brussius*, qui post 20. annos, seductionis & contumaciæ pœnas luit incendio: Discipulum autem reliquit *Henricum*, monachum Apostatam, à quo *Henriciani*, (sicut à magistro *Petro Brussiani*) novum hoc Manichæorum genus appellatum est. Variis aliis nominibus in variis regionibus designatos fuisse comperies: ac communius sæculo XII. nomen fuit ALBIGENSIUM, quod à territorio *Albigensi*, ubi secta potissimum vigere videbatur, inditum fuit.

Hæc, sub *Innocentio III.* Papa, & Philippo Augusto Franciæ Rege, usque adeò invaluerat, ut visum fuerit Catholicis, nihil aliud superesse remedii, nisi ut bello sacro adversùs eam apertè decertaretur. Indictum id fuit A. 1210. duxque expeditionis designatus est vir fortissimus atque in historia celeberrimus, *Simon* comes *Montefortius*, quo A. 1218. expeditioni immortuo, eamdem conti-

continuavit *Ludovicus VIII.* Galliæ rex, usque ad A. 1228. Pace anno sequenti composita, sacræ inquisitionis Tribunal Tolosæ erectum est, & factio dissipata, qua in re *S. Dominicus* & socii ejus egregiam operam Ecclesiæ commodarunt.

VVALDENSES.

Ab Albigensibus prorsus fuisse diversos longè latèque probat *Bossuetius*. Innotescere cœperunt A. 1160. quo *Petrus Vvaldo* mercator Lugdunensis, subitanea socii cujusdam sui morte commotus, opes suas sat magnas in pauperes erogavit, magnumque eorum numerum sibi aggregavit. Res hæc ab initio minimè malo profecta, mox superbo otio, zeloque amaro & perverso depravata, & in schisma erroresque delapsa est. Itaque vani homines superba ostentatione * pauperes; prædicationis officium sine missione, aut legitima auctoritate invadunt, idque, crescente audacia, non modò, (quod jubebantur) dimittere renuunt, sed sibi solis, velut ad Apostolorum normam viventibus, convenire affirmant: ceteros quippe luxu, divitiis atque flagitiis indignos redditos, & potestate excidisse. Damnavit eos *Lucius III.* circa A. 1183. Sub *Innocentio III.* A. 1209. Romam ire ausi sunt, ut sectæ suæ à sede Apostolica approbationem postularent. Rejecti sunt, ut merebantur, superbi paupertatis ostentatores, providitque Deus in eorum locum viros spiritu verè pauperes, & Apostolico zelo plenos, *S. Franciscum* & socios ejus; quibus Ecclesia suam approbationem impertiret. Ita annis circiter 50. patienter & longanimiter cum VValdensibus egit Ecclesia.

* *Vocabantur vulgò* Pauperes de Lugduno.

A schi-

A schismate, in varios, uti fieri amat, errores, citò deflexere *VValdenses*; errores similes iis quos ultimis temporibus *Protestantes* renovarunt. De Eucharistiæ Sacramento, is eorum tantùm error recenseri solet apud auctores coætaneos, quòd ejus consecrandæ potestatem laicis attribuerent, modo *sandaliis* induti, id est VValdensium sectæ initiati essent. De reali Christi in Eucharistia præsentia, de transubstantiatione, nulla cum hæreticis illis controversia. Novi quidem esse videbantur *Donatistæ*, sed Africanis illis in hoc deteriores, quòd cùm hi functiones sacras Sacerdotio reservarint, isti suæ sectæ hominibus laicis attribuerint: in eo tantùm pares, quòd sacramentorum vim & efficaciam à ministrorum sanctitate pendere voluerint. Character eorum proprius fuit rancor & indignatio, inobedientia & rebellio, ingensque contemptus supremæ sedis & ministrorum Ecclesiæ; quæ omnia, hæreditario quodam jure, ad subsequentes hæreticos transierunt, estque hæc una res, qua isti gloriari merito possint, se esse illorum successores. Ceterum tenues illæ VValdensium reliquiæ, quæ in exortu novi Euangelii, in Provinciæ, Sabaudiæ; & Pedemontii vallibus supererant, A. 1536. *Zvvinglianis* se adjunxerunt, à quibus doctrinam suam, ac disciplinam reformari passi sunt, quorum proinde sectatores potius fuere quàm decessores.

JOANNES VVICLEF

Hòmo impius & apertissimè seditiosus, cujus errores eò tendebant, ut non modo fidem Catholicam, verùm etiam omnem destruerent Ecclesiasticam & civilem politiam;

tiam; quia tamen Papam Antichristum, & Romanam Ecclesiam ab A. 1000. Babylonem & meretricem magnam, effectam esse vociferatus est, honorabilem inter protestantium decessores locum est consecutus. Presbyter erat, doctorque Oxoniensis in Anglia, rector autem Parochiæ de Lutervvord in Diœcesi Lincolniensi. Ingressi & scientiæ suæ vana opinione inflatus, immodicæ ambitioni laxavit habenas; cui cùm Romanam sedem semel atque iterum sensisset obsistentem, adversùs eam, omnemque simul ordinem Ecclesiasticum, odium concepit vehementissimum, totamque religionis faciem, si fieri posset, immutare constituit. Doctrinæ suæ hanc ferè basim statuit: Deum fato & necessitate regi auctoremque esse & approbatorem flagitiorum omnium. Effectum sacramentorum à ministrorum sanctitate pendere. Horum consecrationem & administrationem, hominibus laicis, modò justis ac bonis, concedendam esse. Non sine ingenti piaculo bonorum temporalium possessiones Ecclesiasticis fuisse attributas: has illi ideò incessanter auferendas. Eosdem per quodvis crimen omni potestate privari. Quin & regem desinere regem esse, si in peccatum mortale inciderit. Transubstantiationem acerrimè impugnavit: an & realem Christi præsentiam? non ita constat.

Cùm tam horrendi scandali fama A. 1377. ad *Gregorium XI.* pervenisset, acerrimis litteris Academiæ Oxoniensis segnitiem increpavit, mandavitque ut contra *VVicleffum* justa severitate ageretur. At nunc nihil actum fuit impedientibus asseclis & patronis, quorum jam tum ingentem sibi numerum conciliarat. Eminebant inter eos Joannes dux Lanca-

castrius, & Joanna principes VValliæ, mater Richardi II. posteà Angliæ regis. Defuncto Gregorio XI. ausus est novator *Vrbano VI.* scribere, suamque ei doctrinam approbandam offerre aut corrigendam. Cùm cœptis ejus magnopere favere videretur dirissimum *schisma*, quod post Gregorii obitum Ecclesiam in partes distraxit, VVicleffus in perversi sui propositi commodum omnia convertens, non solùm Angliam, sed & universam penè Europam tam per se, quàm per discipulos suos, fœdissimè contaminavit. Pergit itaque seditiosis concionibus provocare omnes ad asserendam sibi libertatem. Exurgunt undique seditiones & tumultus rusticorum, qui A. 1381. dissipati sunt. Ut in majorem invidiam clerum adducat, adulatorias anno sequente assertiones Londinum mittit ad comitia laicorum. Tandem *VVillelmus* Cantuariensis Episcopus A. 1382. numerosam Londini Episcoporum synodum celebrat, in qua 24. VVicleffi propositiones proscribuntur. Rex manum executioni adhibet, turbæque magna ex parte sedantur. At hæresiarcha erroribus suis pertinaciter * adhæsisse dicitur, & apoplexia correptus miserè periisse A. 1384. die 31. Decembr. Compressi tunc VVicleffitæ; at sub Henrico V. rege, novum nacti ducem, caput iterum erexerunt: mox verò dissipati & exterminati sunt. Ceterum cineres funestæ hæreseos, in Bohemiam transvolarunt, delatis illuc per nobilem quemdam Bohemum, ex universitate Oxoniensi, libris VVicleffianis, unde paulo post *Hussitarum* ibi secta prognata est. Errores *VVicleffi*, quos aliqui ad octingentos excerpi potuisse contendunt, 45. articulis expressi, in Concilio *Constantiensi* Sess. 8. sub variis *respectivè qualificationibus*, notis

* *Licèt eū aliqui in Londinensi synodo, universa retractasse existiment, & in communione catholica, quod ad externam speciem attinet fuisse defunctum.*

notis atque censuris damnati sunt, id quod deinceps *Leo X. Alexander VII. Innocentius XI. Innocentius XII.* & *Clemens XI.* in damnandis erroribus imitati sunt.

Ex lectione librorum VVicleffianorum, quos Oxonia in Bohemiam delatos fuisse diximus, JOANNES HUS Presbyter, & Academiæ Pragensis aliquando rector, vir novitatis amans, suoque præfidens ingenio, * VVicleffi se discipulum profiteri ausus est, novosque sibi & magistro discipulos adjungere instituit; inter quos celeberrimus est *Hieronymus de Praga*. In odio adversùs Romanum Pontificem, VVicleffum præcipuè æmulatus est. Ajebat, Ecclesiam constare ex solis prædestinatis. Negabat, *Petrum* fuisse unquam caput Ecclesiæ. Urgebat necessitatem communionis sub utraquespecie. In reliquo, quo ad Eucharistiam attinet, retinuit doctrinam Catholicam, *Missasque*, quas Protestantes adeo abominantur, hic eorum Doctor, Propheta, & *Martyr*, usque ad vitæ finem constanter celebravit. *Ioannes* & *Hieronymus* Sigismundi Imper. jussu ad concilium *Constantiense* evocati, ob pertinaciam damnati, tandemque extremo ignis supplicio affecti sunt A. 1415. At supervixit *Hussitarum* secta in Bohemia, qui inter se divisi, soloque dissensionis ac rebellionis spiritu animati, innumeras in regnum illud calamitates invexerunt. Noti præsertim sunt *Taboritæ* & *Calixtini*. Illi duce *Ioanne Zisca*, viro prorsus sanguinario, omniumque confessione, crudelissimo, patriam suam igne & cædibus repleverunt: hi, sub *Ioanne Rokyzana*, intolerandæ ambitionis viro, in schismate perstiterunt, necessitatem *Calicis* pervicaciter obtendentes, unde *Calixtini* dicti sunt. Ab his, A. 1467. *fra-*

* *ab anno* 1407.

fratres Bohemi, calceario quodam duce, novo se schismate segregarunt: qui postquam *Lutherus* exortus est, ab eo doctrinæ suæ reformationem acceperunt, eique adjuncti sunt.

Magnum Schisma Occidentis.

Sub idem illud tempus, quo *VVicleffus* novis Ecclesiam turbabat erroribus, fœdum ac diuturnum in Occidente exortum est Schisma, cùm alii Romæ, alii Avenione Pontifices sederent, quod à morte *Gregorii XI.* inchoatum, post annos * 40. ægrè extingui potuit.

Post acerrimas *Bonifacii VIII.* cum Philippo Pulchro Galliarum Rege contentiones, Apostolicam sedem circa A. 1305. Roma *Avenionem* in Gallia transtulit * *Clemens V.* ubi annis hæsit amplius 70. sub Clemente & successoribus ejus, Joanne *XXII. Benedicto XII. Clemente VI. Innocentio VI. Urbano V.* & *Gregorio XI.* Hic A. 1376. hortante *S. Catharina Senensi*, quæ tum sanctitate clarebat, Avenione profectus, Septembri mense Romam rediit, ubi A. 1378. die 26. Maji vita functus est. Populus Romanus veritus, ne, si Gallus subrogaretur, sedes iterum Avenionem transferretur; Cardinalibus ad comitia congregatis minas terroresque intentat, si alium quàm Romanum, aut certè Italum, Papam designent. Violentiæ cedere coacti, Bartholomæum de Prignano, Neapolitanum natu, Archiepiscopum Barensem, in ea trepidatione Pontificem renuntiarunt, qui assumpto *Urbani VI.* nomine, Pontificiisque insignibus decoratus, ut verum Romanæ sedis antistitem sese gerere non dubitavit. Cessante violentia, Cardinales, sive intempestiva Urbani asperitate & ferocitate commoti, sive

* *Si computes usq; ad electionem Martini V. A. 1417. invenies annos circiter 40. si verò usq; ad A. 1429. quo Clemens VIII. Antipapa, Martino V. se submisit, annos habebis 51.*

* *Erat hic natione Gallus, fueratque Archiepiscopus Burdegalensis.*

ve à *Ioanna* Neapolitana, quæ regno suo ab *Urbano* metuebat, incitati, Roma digressi Anagniam, atque inde Fundos, factam prioribus comitiis electionem, ceu necessaria suffragiorum libertate destitutam, irritam declararunt, dieque * 20. Septembris Robertum Cardinalem Gebennensem, Episcopum Cameracensem, sub nomine *Clementis VII.* Papam designarunt. Is *Avenionem* secessit, & præter regnum Neapolitanum, Gallias quoque & Hispanias (excepta dumtaxat Lusitania) habuit sibi obsequentes. Ita orbis Christianus in duas factiones miserè scissus est, duobus Pontificibus Petri sedem eodem sibi tempore defendentibus. Pertinax hoc dissidium fuit, neque competitorum morte restinctum. *Clementi VII.* A. 1394. è vivis Avenione sublato, subrogatus est *Petrus de Luna*, qui *Benedictus XIII.* nuncupari voluit, sedemque XXX. annis pertinacissimè tenuit, quidquid urgeretur, ut ad reddendam Ecclesiæ tranquillitatem, Pontificatu se abdicaret. *Urbano VI.* Romæ A. 1389. defuncto, suffectus est *Bonifacius IX.* Huic A. 1404. *Innocentius VII.* quo rursus vita functo, renuntiatus est *Gregorius XII.* Eo tempore Petri Lunensis, ut caussa deterior, ita minor in dies etiam apud suos erat auctoritas. Itaque destitutus à Francis, in Hispaniam, unde erat oriundus, recessit: ubi se *Arragonum* diu sustentavit opibus. De ambobus * in ordinem cogendis A. 1409. convenere *Pisis* utriusque partis principes, iisque abrogato Pontificatu, *Alexandrum V.* ex Minorum ordine subrogarunt: quo facto, hoc unum assecuti sunt ut ad duos Pontifices tertium adjicerent: id est, ut ex bicipiti tricipitem facerent Ecclesiam.

Alexander V. spem quam de se fecerat pro

* *Ejusdem anni 1378.*

Gregorio XII. & Benedicto XIII. vide Petav. *Rat. p. 1. l. IX. c. 8. ex S. Antonino, Palmerio, & Nauclero.*

pro pace Ecclesiæ, anno sequente, fatis cedendo abrupit. Substitutus ei est Balthassar Cossa, qui *Ioannes XXIII.* appellatus est. Is tandem, urgente modisque omnibus sollicitante *Sigismundo* Imp. concilium CONSTANTIENSE indixit, quod anno 1414. inchoatum, post quadriennium absolutum est. Sessione 41. annoque 1417. tribus illis, qui Pontificis tunc nomen usurpabant, exauctoratis, *Martinus V.* electus est. Acquieverunt Gregorius XII. & Joannes XXIII. solus *Petrus de Luna* induci nulla ratione potuit, ut inani jam nomine sese abdicaret. Itaque Paniscolæ in Catalaunia, obiit A. 1424. Moriens, duobus, qui ei supererant, Cardinalibus, graviter edixisse dicitur, ut ab ejus morte novum sibi Pontificem eligendum curarent. Electus est Ægidius Mugnos, Canonicus Barcinonensis, quem *Clementem VIII.* dixere. Sed hic A. 1429. prudenti consilio, *Martino V.* submittere se & parere decrevit. Ita finis feliciter impositus funestissimo schismati; at non omninò malis, quæ ista occasione in Ecclesiam redundarunt. Horum non modica pars fuisse videntur, sedis Apostolicæ clerique despectio, nimia conniventia, privilegia immoderata, censuræ temerè inflictæ, contemptimque violatæ, relaxationes canonum & dispensationes supra modum multiplicatæ: verbo, Ecclesiastica disciplina lata vehementer, & tantùm non enervata.

Num. VII. Series Religionis à temporibus LUTHERI *usque ad præsentem ætatem.*

Tametsi fides, ex quo fundata est, integra semper in Ecclesia Catholica steterit & illibata, eademque perpetuò fuerint religionis

nis ac moralis doctrinæ principia ; refrigescente tamen charitate, sensim abundare cœpit iniquitas, & inter tot dissensiones ac schismata, non exigua morum corruptela invaluit, rerumque sacrarum abusus usque ad ipsa altaria tentavit irrepere. Hæc omnia dolorem & gemitus exprimebant hominibus verè piis ac bonis, quantoque deteriora erant, tanto eos ad æmulanda charismata meliora potentiùs excitabant. Contrà accidebat in animis superbis & amarulentis, qui zelo præfervido omnes moderationis legis excutere consueverunt. Hi adversùs Ecclesiam Romanam, ceterarum matrem & magistram, centrumque & vinculum unitatis, corde indocili insurgentes, ceteros quoque ad rebellionem provocabant. Nomen *Antichristi* Romano Pontifici tribui cœptum est à præcursoribus Antichristi, cujus inventionis gloria debetur *Albigensibus*, novis, ut vidimus, Manichæis. Ab his idem odium, similemque calumniam mutuati sunt, qui subsecuti sunt novatores, VValdenses, VVicleffistæ & Hussitæ, qui omnes terribiliori apostasiæ paraverunt viam.

Orbis jam pridem plenus amarulentia, dissensione, & Ecclesiasticæ potestatis contemptu, parturiebat grande aliquod malum, tandemque LUTHERUM peperit & CALVINUM, bina novæ factionis capita, non minùs inter se, quàm Ecclesiæ Catholicæ opposita ; geminas Occidentis faces, alteram Germaniæ vicinisque regionibus, alteram Galliæ incendendæ destinatas. Diversi utriusque errores, fundus idem : legitimæ potestatis contemptus, odiumque implacabile contra Ecclesiam Romanam, & ordinem Ecclesiasticum universum. Damnare voluerunt duces suos atque pasto-

S. Aug. *lib.2. cont. Parmen. Cap. XI.*

pastores, tantæque absurditati speciosum *reformationis* nomen inditum fuit. Reformatione morum opus erat: sed *præscindendæ unitatis nulla poterat esse justa necessitas*. Videri voluerunt ceteris meliores: in auxilium advocatæ calumniæ adversùs Catholicos: falsa libertas populo proposita: hic prurientes aures adhibet, per quas novatorum sermo ut cancer serpit: obedientiæ jugum excutitur: novis dogmatibus nova Ecclesiarum simulacra superædificantur. At *novitatis* cauterium repellere à se non possunt: nullus in orbe cœtus est, nulla societas, quæ in dogmatibus reformationi consentiat: nulla reperitur successio qua ad Apostolica tempora origo referatur; quæritur ea in damnatis pridem hæresibus, nec invenitur, sive quod ad missionem attinet, sive quod ad doctrinam: singulis nempe aliqua in re affines, in pluribus reperiuntur adversi, nullaque adeò secta est, quæ simili modo ab ipso Simone Mago suam repetere non possit originem.

Hoc igitur illud tempus est, quo adversùs regnum Christi fidemque Catholicam, omnes inferorum vires exertæ sunt, nec unquam Occidentali Ecclesiæ tam formidandum incubuit cum diabolo certamen. Abjecto semel legitimæ auctoritatis fræno, longiùs progressi sunt Lutheri sectatores, quàm ipse voluisset, ut nempe crederent respuerentque quod vellent; eo obtentu, nihil credendum esse, nisi quod persuasum habeant in scripturis divinis apertè contineri. Ita serpente hac peste, scissa est in (*a*) *Varias hæreses*

(*a*) Fredericus Staphylus *ex Lutherano Catholicus, jam tum ann.* 1564. *recensebat sectas Lutheranorum XXXIV. Nunc autem, inquiebat* Bellarminus *an* 1583. *numerantur fere centum diversissima religionum propagines, ab uno Luthero prodeuntes.*

Vess Christiana professio: dum ut quisque lingua & audacia promptus est, suæ auctor esse sectæ, quàm alienæ mavult insistere. Ita commonstrata est via, foresque apertæ *Anabaptistis*, *Socinianis*, (*a*) aliisque fanaticis, quos ipsi Protestantes una nobiscum abominantur ut profanos omnis religionis contemptores. Hi omnes profanarum novitatum inventores ausi sunt blandiri sibi ac vanè polliceri, se Apostolicam Petri sedem, immobile illud unitatis centrum, nullo negotio ad nihilum redacturos. Illata est sanè strages non modica, qua multi Ecclesiæ filii, sed pravi atque instabiles, instar paleæ ex area excussi sunt; at veritas tanto amplius & firmata & illustrata fuit, morumque integritas tanto felicius restituta; & ut mare, quantum in una terræ parte sui juris amittit, tantum acquirit in altera; ita Catholica religio hisce damnis imminuta, nova alibi lucra, eaque damnis suis majora, iisdem circiter temporibus consecuta est, quando per vastissimas *novi orbis* provincias in *Indiis*; *Japonia* & amplissimo illo *Sinarum* Imperio, longe lateque diffusa est. Et verò Christi regno proprium id semper fuit, ut quo vehementioribus agitatur procellis, eo sincerius efflorescat.

Nunc

(*a*) Sociniani, *sic dicti à Lælio & Fausto Socinis, patria Senensibus, quorum prior erat posterioris patruus, prorumpente sè foribus, quas Lutherus patefecerat, in libertatem sentiendi ut luberet*, Pauli Samosateni, Arii, & Photini *hæreses, una cum* Pelagianorum *erroribus ab inferis revocarunt, sub medium sæculi XVI.* Lælius *Tiguri obiit A.* 1562. *ætat.* 37. Faustus *prope Cracoviam in Polonia an.* 1604. *E Polonia, ubi præcipuè sedem fixerant, Sociniani expulsi sunt an.* 1655. *In Hollandiam se receperunt, ubi inter Arminianos & Anabaptistas delitescunt, indeque etiam in Insulas Britannicas penetrasse dicuntur.*

Nunc res Protestantium, paulo distinctiùs & ex ordine temporis, brevissimè tamen sunt exhibendæ.

LUTHERANI.

Martinus Lutherus patre Joanne Ludder, matre Margarita Lindeman, Islebii, oppido comitatus Mansfeldici in Saxonia, natus est 10. Nov. A. 1483. Studia humaniora peregit Erfordiæ. Morte sodalis, ad latus suum fulmine icti, vehementer commotus, mundo renuntiavit, ordinique Eremitarum S. Augustini nomen dedit, A. 1505. Ad Presbyteratum promotus est An. 1507. *VVittembergam* missus, in ea Academia, quam *Fredericus dux Saxoniæ* recens erigendam curaverat, Philosophiam docere aggressus est, An. 1508. Romam à suis delegatus ad componenda quædam inter eos orta dissidia, re bene gestâ reverritur, faventeque duce Saxoniæ, qui jam tum ejus ingenio delectari cœperat, magisterii in S. Theologia gradum consequitur, conferente *Andrea Carlostadio* Archidiacono VVittembergensi, Lutheri posthac sectatore primùm, postea adversario.

Triginta tres ætatis annos exegerat, quando illuxit annus 1517. Germaniæ totique Ecclesiæ funestus pestilentis hæresis exortu. Eo anno partim incitatus (a) à suis, partim sua invidia stimulatus, contra *Indulgentias* de-

(a) Joannes Staupitius *Vicar. Gen. Ordinis Augustin. per Germaniam, ægrè ferebat promulgationem & prædicationem Indulgentiarum, quas pro ædificanda Basilica Vaticana Leo X. concesserat, non suo Ordini, ut solebat, sed* Joanni Tetzelio *Ord. Prædicat. ab* Alberto *Brandeburgico Archiepiscopo Moguntino, fuisse commissam. Hinc illæ lacrymæ.*

declamare cœpit Lutherus, abusus primùm increpans, quos turpis quæstus & avaritia invexerant; mox rem ipsam conatus evertere, errores erroribus intexuit: quo ex igniculo paulatim incendium exarsit, quo Europa tota conflagravit. Post editas eo anno Theses de Indulgentiis, quibus positiones suas *Tetzelius* opposuit, A. 1518. in lucem profert resolutiones disputationum de Indulgentiarum virtute, quo tempore omnem erga Romanam sedem subjectionem & obedientiam vaferrimus hypocrita profitebatur, sed detracta mox larva in contumaciam pervicacissimam commutandam. Citatur Romam. Excusat. Convenitur à *Thoma de Vio* Cardinale *Cajetano*, legato per Germaniam Apostolico. Provocat ad Pontificem; mox ab hoc ipso, ad Concilium generale. Parisiensis, Lovaniensis & Coloniensis Academiæ, A. 1519. plurimos ejus articulos suis censuris confixerunt. Ex iisdem An. 1520. *Leo X.* XLI. solemni decreto condemnavit. Furere tum cœpit Lutherus, nullisque ultra frænis (*a*) superbum ejus ingenium coerceri po-

(*a*) *Quàm effrenata fuerit hujus hominis superbia, qui neminem veterum, teste* Erasmo *lib. XIX Ep. 4. non magnificè contemnit præ se, id quidem omnia ejus scripta testantur. Sufficiet autem duos inde locos adduxisse, ut ex iis lector de ceteris faciat conjecturam. Prior est in libro* adversùs Henricum Angliæ regem. *Ego, inquit, adversùs dicta Patrum, hominum, angelorum, dæmonum, pono non antiquum usum, non multitudinem hominum, sed unius majestatis æternæ verbum Evangelium: quòd ipsimet coguntur probare. Hìc sto, hìc sedeo, hìc maneo, hìc glorior, hìc triumpho: hìc insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum quantumlibet sanctorum, aut consuetudini fallaci. Dei verbum est super omnia, divina majestas mecum facit: ut nihil curem si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ Henri-*

potuit, quin adversùs Ecclesiæ Catholicæ doctrinam novos in dies errores procuderet, aut dudum antiquos revocaret in lucem. A. 1521. jussu Caroli V. Cæsaris, data ei fide publica, ad comitia VVormatiensia accersitur. Pervicax dimittitur: dimissus damnatur atque proscribitur: à Frederico duce Saxoniæ per submissos milites de via subducitur, decemque menses delitescit in castro VVatburgensi propè Alstadium, quem secessum, *Patmon* suam vocare consueverat, in qua scilicet totius reformationis suæ ordinem seriemque animo concepit atque digessit. Ex reliquiis hæreseon pridem damnatarum, præcipuè Albigensium, VValdensium, VVicleffi, & Hussitarum, pleraque compilavit. Solam fidei suæ regulam statuit Scripturam, eamque suo more traductam, plurimis locis adulteratam, denique suo sensu intellectam; rejecta per effrontem impudentiam auctoritate Ecclesiæ, Conciliorum, Pontificum, Patrum; totiusque traditionis Ecclesiasticæ. Cælibatum sacerdotum, vota religiosa, jejunia, abstinentias, ceterasque corporis afflictationes ad superstitiones diabolicas pertinere: bona Ecclesiastica, clero & monasteriis auferenda, & in fiscum Principum transcribenda: abolendos ordines men-

ciana contra me starent. *Alter est in* commentario „ super c. 3. ad Galat. *Certus sum, inquit, dogmata* „ *mea me habere de Cœlo Non sinam vel vos (prælates* „ *Ecclesiæ alloquitur) vel ipsos Angelos de Cœlo de mea* „ *doctrina judicare. Cùm enim certus de ea sim, per* „ *eam quoque & vester & Angelorum judex esse volo.* *Scommatibus, sarcasmis, irrisionibus, jocis homine serio indignis, conviciis, atrocissimisque verborum contumeliis plena undique manu in adversarios suos effusis, doctoris hujus Evangelici scripta omnia referta sunt.*

mendicantes, eorumque domos in scholas juventutis, vel Xenodochia, aut nosocomia convertendis: missas privatas eliminandas, id quod longa disputatione à diabolo se didicisse ipse aliquando professus est: Pontificem esse Antichristum, Episcopos & sacerdotes esse larvas, Episcopatum proinde & sacerdotium abroganda, omnesque laicis æquandos: cæremonias Ecclesiasticas, omnemque Sanctorum cultum & invocationem esse abjicienda: è septenario Sacramentorum numero quatuor, aut quinque expungenda: Transubstantiationem esse respuendam: Liberum arbitrium periisse, omnia necessitate geri: justificationem & salutem soli fidei, id est, fiduciæ speciali, esse tribuendam: nihil referre qualia sint hominis opera, imo vero opera, merita, conatus esse voces hæreticas, bonaque opera ad salutem noxia potius esse quàm utilia. Hæc aliaque commentus est, in quibus tamen tuendis, aut retinendis, & ipse & sectatores ejus mira inconstantia & * varietate usi sunt. Cùm enim hæretici, relicto semel legitimæ auctoritatis fundamento, nusquam inveniant ubi pedem figant; in perpetua mentis & cordis instabilitate ac variatione versentur necesse est. Hinc prodigiosa illa confessionum fidei multitudo, quam more veterum hæreticorum, recentiores quoque protruserunt in lucem. Inde nova identidem doctrinæ monstra veteribus superaddita, quale illud est quod de *ubiquitate* Corporis Christi, A. 1527. Lutherus publicavit, & ab omnibus ferè Lutheranis, post mortem Melanchthonis, receptum est; quo dogmate manifeste *in confusionem naturarum*, atque adeò in *Eutychianorum* insaniam prolapsi sunt. A primis autem reformationis

** Hanc rem invictis rationibus demonstravit Bossuetius Hist. Variat. Eccl. protest.*

principiis tam procul hodiè Lutherani recesserunt, ut in nonnullis ad oppositam extremitatem deflexerint. Pro eo enim quòd Magister, ita totum Deo tribuendum esse contenderet, ut liberum arbitrium funditus aboleret, Deumque ipsum faceret omnis flagitii & iniquitatis auctorem; hi hodie universalitatem gratiæ ita tuentur, ut in perniciosissimum Pelagianismi dogma declinent, totum refundentes salutis negotium in *fontem volendi*.

Novæ ergo religionis dogmatibus utcumque in Alstadiensi solitudine concinnatis, post decem menses VVittebergam *Lutherus* revertitur, ubi favore & protectione nixus Ducis Saxoniæ, gliscentis factionis caput, *Papamque* se constituit. Vim arrogatæ sibi potestatis exercere cœpit in *Carlostadium*, qui eo absente imagines confringere, & altaria evertere cœperat, ac deinceps etiam realem Christi in Eucharistia præsentiam, cujus fidem (Deo ita providente) abjicere Lutherus non potuerat, præfractè negavit. Hunc itaque per Ducem Saxoniæ civitate pellendum curavit. Traductionem porrò Novi Testamenti, vernaculo idiomate, pro suo sensu & ingenio fabricatam, A. 1522. emisit in lucem, quæ ob singularem sermonis elegantiam, ipsamque tunc rei novitatem, omnibus ad nova dogmata propensis vehementer placuit, variisque editionibus mirificè per universam Germaniam propagata est. In comitiis Nurembergensibus A. 1523. celebratis, faventes sibi expertus est principes & civitates multas: vel ideò maximè, quòd iis jam tum Ecclesiasticorum & monasteriorum opes occupandas destinasset. Sub idem tempus Lutherana pestis, proxima Saxoniæ regna corripuit,

ripuit, cùm *Christiernus III.* rex Daniæ, Norvvegiæ ac Sueciæ, primus regum, Lutherum secutus, ab orthodoxa religione descivit. Verùm A. 1523. tribus regnis ob crudelitatem exutus à suis, & à successore vinctus, in tristi captivitate consenuit usque ad A. 1559. quo extinctus est. Eodem illo anno 1523. *Fredericus I.* rex Daniæ, & *Gustavus I.* rex Sueciæ, inito inter se fœdere decreverunt, mutare suis in provinciis religionis antiquæ statum, ac in iisdem Lutheri nova dogmata stabilire. Gaudium quod ex tanto successu hæresiarcha sentiebat, turbavit anno sequente 1524. liber *Erasmi*, * quo capitale ejus dogma, liberi arbitrii in homine extincti, invictis rationibus convincebatur erroris & impietatis. Quis novi Euangelii fructus suo tempore gustaretur, idem *Erasmus* in Epistolis * luculenter testatus est: „ Hìc nobis, inquit, hoc *Novum Euangelium* gignit novum hominum genus, præfractos, impudentes, fucatos, maledicos, „ mendaces, sycophantas, inter se discordes, nulli commodos, omnibus incommodos, seditiosos, furiosos, rabulas, qui mihi „ adeò displicent, ut si quam nossem civitatem ab hoc genere liberam, eo demigrarem. Duo tantùm quærunt, ait * alibi, censum & uxorem. Cetera præstat illis Euangelium, hoc est, potestatem vivendi ut volunt. „

* Erasmus, licet homo ambiguus abitus ierit: in communione tamen Catholica mortuus est A. 1536.

* Lib. XIX. Ep. 4.

* Ibid. Ep. 50.

Tempus erat ut Lutheri audacia alia in orbe spectacula ederet. Anno igitur 1525. proculcatis votis monasticis, quæ ab annis ferè 20. emiserat, Catharinam Boræam sanctimonialem Christo jàm pridem consecratam, fremente orbe Christiano, sacrilego sibi conjugio copulavit. Præclarus utique

reformator, qui profiteri palam ausus est (a) non magis in sua potestate situm esse ut sine muliere viveret, quam ut mas non esset. Præcesserat eum paulo ante in simili probro *Carlostadius*, provectæ ætatis presbyter, qui Sacramentariorum dein partes amplexus, Zvvinglioque conjunctus, irreconciliabile cum Luthero bellum gessit. Secuti sunt *Oecolampadius* & *Bucerus*, professus uterque monachus & presbyter; totaque hæc reformationis *Tragœdia*, uti *Erasmus* (b) animadvertit, in finem prorsus *Comicum*, id est, in nuptias desinebat. Hoc apud eos erat Christianæ mortificationis studium. Ad hunc quoque annum 1525. pertinent horrendi illi rusticorum in Germania & ANABAPTISTARUM tumultus, qui ingenti eorum clade sedati sunt. *Thomas Muncerus* Lutheri nuper discipulus, magnoque ab eo in pretio habitus, una cum *Nicolao Storkio*, & *Pfeiffero*, sectæ isti sub A. 1522. originem dederat. Tunc quidem eorum seditio dissipata fuit: at post novem annos recuperatis viribus fanatici homines eo vesaniæ processerunt, ut Monasterii VVestphalorum, occupato per vim principatu, sartorem quemdam, Joannem.

(a) Luther. *de vita conjugali*. *Quid porrò novus hic Apostolus senserit de castitate conjugali, lector ipse statuat ex verbis ejus.* serm. de Matrimonio T. *V. f.* 123. „ *Hic opportunum est, inquit, ut maritus dicat: si tu* „ *nolueris, alia volet: si domina nolit, veniat ancilla.* „ *Si tum renuat, repudia eam, & in vicem Vasthi sur-* „ *roga Esther, Assueri regis exemplo.* „ *Ignoscite casta aures: sic novi Euangelii præco matrimonium reformabat.*

(b) *Lib. XIX. Ep.* 3 & 41. *Nuper, inquit*, Oecolampadius *duxit uxorem, puellam non inelegantem. Vult opinor affligere carnem. Quidam appellant Lutheranam* Tragœdiam: *mihi videtur esse* Comœdia *semper enim in* Nuptias *exeunt tumultus.*

nem Leydensem nomine, sibi regem designaverint. Cito quidem furor ille compressus, ac pro merito castigatus fuit: secta tamen extingui non potuit. In varios divisa ramos, subsistit usque hodie, & sub externa quadam singularis modestiæ specie, in Hollandia & Anglia insanire non desinit.

Novæ vires Lutheranæ factioni accessere A. 1526. cùm eam Philippus Lantgravius Hassiæ, princeps ceteris ferè omnibus animosior & audacior, totis viribus tuendam suscepit; ut minùs mirùm sit, viro sectæ tam necessario, A. 1539. mense Decembri, à Luthero aliisque reformationis principibus, *Polygamiam* fuisse indultam. Sic novi Apostoli, qui dispensationes pontificias tam invidiosè traducebant, ipsis Christi legibus, in Euangelio apertè sancitis, repentè evasere superiores. Conventus *Spiræ* habitus A. 1529. celeberrimus est, quòd nomen PROTESTANTIUM, quo exindè tota sectariorum factio designari consuevit, hic natum sit; inde nimirum derivatum, quòd principes Luthero studentes, novo comitiorum decreto, quod in priscæ religionis favorem latum fuit, intercesserint, palamque sint *Protestati* illi se parere non posse, quòd Euangelicæ veritati & libertati sentirent esse contrarium; itaque ad œcumenicum, vel certè ad totius nationis concilium, sese provocare. Eodem anno, *Marpurgi* oppido ditionis Hassicæ, quo arctius inter se Protestantes fœderarentur, magno conatu, Lutheranos inter & Zvvinglianos, sive Sacramentarios, tentata concordia est: sed nec eo tempore, nec postea, coalescere unquam pax potuit; qua in re, mira quædam Dei providentia elucet, ad consolationem Ecclesiæ,

atque in salutem (uti confidere fas est) diffidentium.

In comitiis, Augustæ Vindelicorum, Caroli V. jussu, A. 1530. celebratis, oblata Cæsari à protestantibus fuit *Confessio Augustana*, quam * *Philippus Melanchton* totius factionis nomine concinnarat; quamque deinceps Lutherani majori ex parte secuti sunt. Hæc à Cæsare rejecta est, damnatisque Anabaptistarum, Zvvinglianorum & Lutheranorum sectis, decretum ut omnes in avita religione persisterent. Subsecutum est protestantium *fœdus Smalcaldicum* A. 1531. cui Carolus pro conditione temporum cedere tantisper opportunum ratus, A. 1532. pacem composuit; ea lege ut edicta VVormatiense & Augustanum integra suspenderentur, Lutheranique tolerarentur, donec concilii auctoritate res finiretur.

* *Fuit hic dux Lutheranorum mitigatorum. Obiit VVitembergæ 19. Apr. 1560. æt. 64.*

Crescebant interim res protestantium & firmabantur. Concilium œcumenicum, ad quod tot annis provocaverant, ubi à *Paulo III.* (a) indictum fuit, pervicaciter abnuerunt, obtendentes liberum non esse, neque æquum esse ut judices sedeant, quos ut reos judicari oporteat. Lutherus, numquam quàm sub hæc tempora celebrandi concilii (quo se damnandum esse dubitare non poterat) furiosior, paulo post ejusdem initium, ad justi judicis tribunal subitanea morte sublatus est,

(a) *Primùm in An.* 1537. *deinde in A.* 1545. *quo* & Tridenti *inchoatum fuit*: *sub* Julio III. *continuatum*; *variis de caussis interruptum*, *suspensum atque dilatum*: *tandem sub* Pio IV. *terminatum* 4. *Decembr.* 1563. Canones *editi*, 131. *quibus errores rejecti*, & *Catholica fidei dogmata stabilita sunt. Decreta etiam plurima saluberrimè sancita; pro reformandis fidelium moribus, & instauranda Ecclesiastica disciplina.*

est, A. 1546. die 18. Februarii, ætatis an. 63. Furor factionis, morte ejus minimè extinctus fuit; quin potiùs eodem anno in apertam adversùs Cæsarem rebellionem bellumque prorupit, in quo Carolus, Deo protegente, gloriosissimè triumphavit, captis in prælio ambobus perduellium ducibus, Frederico Saxoniæ, & Philippo Hassiæ regulo. (*a*) Actum erat de Lutheranismo, nisi Cæsar, aliis bellis revocatus, inquietis hisce hominibus indulgere aliquid coactus fuisset: quæ quidem indulgentia eo usque progressa est, ut in tractatu *Passaviensi*, quo A. 1552. pacem iniit cum *Mauritio* electore Saxoniæ, liberum esse jussum sit novæ religionis exercitium. Ab eo tempore Lutheranismus suis ferè se finibus continens, parvum, aut nullum profectum fecit, nisi quòd sæculo præcedente sub *Gustavo Adolpho* Sueciæ rege, cristas vehementer erexerit: sed quas facilè demittere didicit eodem illo rege in prælio occumbente ad Lutzam A. 1632. Filia ejus *Christina*, quæ ei in regno successit, singulari Dei benignitate illustrata, Catholicam fidem tam seriò constanterque amplexa est, ut regnum ultro * dimittere, quàm cœlesti lumini rebellare maluerit. Super Saxoniam quoque, unde funesta lues emersit, misericordia Domini diebus nostris feliciter cœpit illucescere, cùm *Fredericus Augustus* dux Sa-

* *Deseruit A. 1654. m. Rom. 1689.*

(*a*) *Post hanc victoriam an. 1547. mense Julio relatam, eodem anno mense Septembri, translato jam concilio Benoniam, ubi nihil agebatur, celebre edictum Cæsar promulgavit, quod* Interim *nuncupatur, quod præscriberet, quid pro tranquillitate publica, à protestantibus* Interim *servandum esset, dum concilii decisiones expectarentur. Decreti fructus (uti & in similibus aliàs observatum fuit) nullus, vel exiguus fuit.*

Saxoniæ, hodieque rex Poloniæ, ad avorum suorum fidem regressus est, eamque in familiam suam & ditionem, sedulo reducere nititur. Multæ idipsum familiæ in Germania æmulari videntur, & defervescente jam pridem odio adversus Orthodoxos, plerisque etiam doctrinæ capitibus plurimùm mitigatis, à Dei benignitate hanc immerito sperari potest, non procul abesse ut potentissimum Germaniæ corpus, infelici olim separatione discerptum, in unitatem avitæ fidei, felici iterum unione conspiret.

CALVINIANI.

Tametsi Lutherana defectio innumeras penè sectas in orbem Christianum invexerit, duo tamen præcipui sunt *Protestantium* rami, qui ceteros ferè ita obumbrant, ut hi cum illis comparati exigui planè momenti esse videantur. Sunt autem *Lutherani* & *Sacramentarii*, qui vulgato hodie nomine *Calviniani* dici solent; non quòd eorum auctor propriè Calvinus fuerit (antecessores enim hac in re habuit (a) *Vlricum* ZVVINGLIUM, (b) *Andream* CAR-

(a.) *Vlricus* Zvvinglius *Canonicus Constantiensis, sub initium tumultuum Lutheranorum, Ann.* 1519. *apud Helvetios, præsertim Tigurinos, nova auctor-secta esse volens, primus* Berengarii *renovavit errorem, novorum adeo* Sacramentariorum *antesignanus; Pelagianus quoque, & uti quibusdam videtur, Nestorianus. Cum Luthero tam implacabile bellum gessit, ut inter eos numquam convenire potuerit. Orto inter Helvetios bello civili,* Zvvinglius *in prælio occubuit* 11. *Octobr. A.* 1538. 48. 44.

(b.) *Andreas Bodenstein, vulgò* Carlostadius, *Germ. Archidiac. VVitembergensis, primus presbyterorum alicujus nominis publice uxorem duxit. Fit Iconoclasta, & Sacramentarius. Pulsus à Luthero, vitam duxit extravicam, m. Basilea* 25. *Decembr.* 1541.

CARLOSTADIUM (*a*) Joannem OECOLAMPADIUM, & (*b*) *Martinum* BUCERUM) sed quòd novum hoc reformationis genus ingenii sui subtilitate plurimùm expoliverit, exornarit, reformarit, tantamque apud suos nominis celebritatem fuerit consecutus, ut totius factionis dux & caput, perfectæque reformationis auctor, à plerisque agnitus sit.

Natus est Joannes CALVINUS Novioduni in Picardia, die 10. Julii An. 1509. patre Gerardo, matre Joanna le Francq. Duo illi beneficia, cùm adhuc adolescens esset, procuravit pater, simplex alterum, alterum curatum, quod utrumque post mortem patris vendidit. Humaniores litteras & philosophiam Lutetiæ didicit, ubi primùm etiam novitatis gustum hausit à Roberto Olivetano affine suo. Theologiæ perdiscendæ, fatente *Beza* operam numquam dedit, nec sacris unquam initiatus est. Jurisprudentiæ studia Aureliani primùm inchoavit, posteà Biturigibus prosecutus est: ubi & linguas didicit; pro Græca, præceptore usus *Melchiore VVolmaro*, homine Germano, & occultè Lutherano, à quo hæreseos virus, quo afflari cœperat, ei-

(*a*) Joannes Oecolampadius *Germ. Presbyter olim & monachus Ordinis S. Birgittæ, sectator posteà comesque Zuvinglii & minister Basileensis, ubi* 1. *Decembr.* 1531. *in lecto repertus est mortuus, æt.* 49.

(*b*) *Martinus* Bucerus *Germ. deserto Ordine Prædicatorum, cui nomen dederat, Lutheri primùm castra secutus est, mox Zuvinglii: Lutheri iterum, ac rursus Sacramentariorum, inter utrosque fluctuans, verborumque ambiguitate utrosque sibi conciliare volens, reformationis Argentoratensis auctor fuit. Advocante Thoma* Crammero *Cantuariensi sub Eduardo VI. Archiepiscopo, trajecit in Angliam, ubi m.* 27. *Febr.* 1551 *æt.* 60. *post annos autem circiter quinque, jussu* Mariæ *Reginæ, ossa ejus exhumata & igni tradita sunt. Sed monumentum ejus* Elisabetha *restituit.*

ei pleniùs instillatum est. Defuncto patre A. 1532. Noviodunum regressus, quod ei ex paterna hæreditate obvenire poterat, collegit, bina quæ habebat sacerdotia vendidit, rebusque compositis Lutetiam se contulit, ubi cum clanculùm nova dogmata disseminare cœpisset, *Ludovici Morini* singularem adversùs novatores vigilantiam fefellit profugiens per fenestram, & Engolisinam se recepit A. 1533. Hic annis ferè tribus, venditatione linguæ Græcæ, sumptibusque Ludovici Tillii, in eadem urbe Canonici, quem seduxerat, se sustentavit, majoremque partem *Institutionum* Religionis Christianæ, delineavit. Germaniam petit collaturus sua dogmata cum doctoribus Lutheranis. Redit in Galliam, seque Pictavium confert ubi discipulos colligere, nocturnos congressus agere, *cœnamque* suo more celebrare incœpit. At nullam hic securitatem videns, Neracum tendit ad *Margaritam* Navarræ reginam, & Francisci I. Galliæ regis sororem, quæ novo Euangelio impensè favebat. Inde Basileam fugit, ubi quatuor *Institutionum* libros absolvit & edidit, eosque Francisco I. dedicare ausus est. Hos ex Lutheri, Zvvinglii, Melanchtonis & Oecolampadii scriptis majori ex parte deprompsisse creditur; at stilum accommodans castigatiorem, & nova quædam dogmata priorum placitis adjiciens, nonnulla etiam nova explicandi ratione convellens, novi systematis auctor videri voluit, id quod ipsi ex voto successit. Patrem itaque Lutherum agnoscit, sed à quo in aliquot dogmatibus usque adeò diffidet, ut inter utriusque discipulos, toties tentata concordia, coalescere hactenus non potuerit. Perrexerunt Lutherani, Calvinianos inter hæreticos numera-

merare. Præcipua dissensionis capita circa *Eucharistiam*, & *Justitiam imputativam* versantur. Realem & substantialem Christi in eo Sacramento præsentiam, miris verborum strophis ita impugnat *Calvinus*, ut identidem asserere videatur, quasi medium quoddam inter Zvvinglianos & Lutheranos systema stabilire vellet, cùm doctrina ejus, hac in parte, reipsa sit Zvvingliana, solo verborum fuco aliquantulùm temperata. Justitiæ imputativæ, hæc contra Lutheranorum placita, dogmata Calvinus adjecit: 1. Plenam & absolutam esse fidelibus omnibus consequendæ salutis certitudinem. 2. Justitiam semel adeptam, prorsus amitti non posse. 3. Parvulos ex fidelibus parentibus ortos, cùm sint in fœdere, sine baptismo, justificationis gratiam adipisci: ex quibus quæ doctrinæ monstra consequantur, alii demonstrarunt, prudensque lector satis ultro intelliget. Cæremonias quoque omnes, quæ umquam fuerint in Ecclesia usitatæ, multo vehementiùs quàm Lutherani, Calvinistæ reprobarunt, religionem volentes, ut ipsis quidem videtur, omninò spiritualem, quo factum est, ut vix ullam tandem retinuerint.

Relicta Basilea, in Italiam * Calvinus profectus est, ad *Renatam* Ludovici XII. filiam, & Herculis ducis Ferrariensis conjugem, quæ Lutheranos apertè fovebat. Hanc ab illis abstractam, sacramentariis planè adstrinxit. At metu inquisitionis, diu illic subsistere non ausus, (*a*) GENEVAM adiit, ubi à *Guil-*

* *Assumpto habitu Ecclesiastico, nomen etiam tunc mutavit, & Happeville vocari voluit.*

(*a*) *Hac civitas olim sub ditione* Episcopi *sui libertatem sibi vindicare cœpit an.* 1518. *Zvvingliana hæresis eò subingressa est occasione fœderis cum Bernensibus ann.* 1526. *Religio Catholica solemni decreto abolita anno* 1535.

à *Guillielmo Farello* susceptus, & docendæ, quam numquam didicerat, Theologiæ admotus est An. 1536. Sed nimio novitatis & contentionis studio citò uterque civibus displicuit, atque instigantibus Bernensibus, quorum se usibus accommodare noluerant, A. 1538. ambo civitate pulsi sunt. A *Martino Bucero* Argentorati Calvinus exceptus est, ubi Gallos suos, caussa religionis profugos, novæ Theologiæ dogmatibus novaque disciplina instituit. Cùm A. 1541. ea factio, quæ Calvino faverat, in urbe Genevensi superior evasisset, eò ille revocatus, honorificeque susceptus est. Sedem suam hìc deinceps ad mortem usque constituit, tantamque sensim auctoritatem nactus est, ut disciplinam totam, legesque præscriberet, ac pro arbitrio penè cuncta componeret. *Geneva* altera fieri visa est *VVitemberga*: quod hæc in Germania, id erat ista in Gallia. Inde *Calvinus* quaquaversum novi Euangelii ablegabat præcones, conatus etiam in Americam penetrare. Italiam & Hispaniam inquisitionis severitas tutabatur. Neque à Gallia rigor aberat. Edicta adversùs novatores austera admodùm *Franciscus I.* publicaverat: austeriora etiam *Henricus II.* filius ejus, qui non paucos ex illa secta comprehensos incendio punit. Eo autem, tristi & inexpectata morte sublato, principatus *Francisci II.* totus Calvinianorum (qui tunc per Gallias *Hugonotti*, incerta origine, vocari cœperunt) seditionibus inquietus fuit. Hi deinde aliquorum suppliciis irritati, contra regem conspirant, Ambasia, ubi tunc erat, clam eum abducere molientes. Re detecta, dissipatur conjuratio: Ludovicus Borbonius princeps Condæus (quem in sectariorum classes ambitio & invi-

dia transversum egerant) custodiæ mancipatur, capitisque arcessitur. Moritur intereà Franciscus, subque *Carolo IX.* fratre & successore ejus, Hugonottorum furor, majore sumpta fiducia, in apertam rebellionem erumpit. Ita annis ferè 40. bella civilia sævierunt, horrendisque tumultibus agitata est Gallia. Incendium hoc suorum studiis excitatum, quo Calvini patria conflagrabat, aliquot ille annis eminùs contemplatus est, donec A. 1564. die 16. Maji, ætatis anno 56. vitæ suæ scænam finiit, Christo Judici, tot malorum, sive quæ jam tum præcesserant, sive quæ deinde secuta sunt, rationem redditurus.

Theodorus Beza Calvini demortui locum & auctoritatem apud Genevenses per annos 40. * magna ex parte occupavit. *Colloquio Possiacensi* (quod juxta Reginæ Catharinæ desiderium, A. 1561. Catholicos inter & Hugonottos, nullo fructu celebratum fuit) pro Calvino, Beza interfuerat, ubi apertè professus est, Christi Corpus ab Eucharistiæ Sacramento tanto abesse intervallo, quanto cœlum à terra remotum est. Bella civilia, quæ, A. 1562. subsecuta sunt, fovisse *Bezá* creditur & animasse. In his, multis (*a*) prælis attriti potiùs quàm domiti fuere rebelles: regnante autem *Henrico III.* vires non modò recuperarunt, sed ducem nacti *Henricum* Navarræ regem, bellicosum & generosa indole principem, rem catholicam haud mediocriter * afflixerunt; graviùs etiam afflicturi

* *M. 15. Octo. 1605. Æt. 86.*

* *Praesertim praelio Cutracensi, A. 1587.*

(*a*) *Ad Drocas an. 1562. ad S. Dionysium an. 1567. Ad Jarnacum in Santonibus an. 1568. Ad Moncontorium in Pictonibus an 1569. Secuta est an. 1572. Carnificina* S. Bartholomai *dicta, quòd eo die, ex condicto, Hugonotti ingenti numero, Lutetiæ trucidati sint.*

flicturi, totaque fortè Gallia pessumdaturi, nisi Navarræus, regnum Galliæ hæreditatis jure jam consecutus, ad Catholicam & avitam decessorum suorum fidem, per singularem Dei benignitatem, ex animo rediisset. Mox alia Galliis facies illuxit, quamquam nondum tam serena, quin celebre illud *edictum Nannetense* in favorem novæ religionis extortum fuerit; & *Henrico IV.* tragica morte sublato, multum laboris relictum filio ejus *Ludovico XIII.*, qui Cardinalis Richelii consiliis adjutus, A. 1627. Rupellam, rebellionis arcem sedemque, stupendis molitionibus expugnavit. Ita is hydram compressit, quam successor ejus *Ludovicus XIV.* cognomento *Magnus*, excidit, cùm A. 1685. Edictum Nannetense, quod superiorum temporum calamitas extorserat, revocavit, & omne Calvinianæ religionis exercitium toto regno severissimè interdixit. Plurimi ejurata hæresi, ad Matris Ecclesiæ gremium redierunt: alii in (*a*) *Hollandiam*, *Angliam*, *Helvetiam*, aut *Borussiam* se receperunt, ubi vetus religio gemit, novaque, donec Deo aliter visum fuerit, dominatur. Sed inter regiones istas, *Anglia* hac in parte specialem considerationem exigit.

SCHIS-

(*a*) *Calviniani incendii scintilla sub annum* 1562. *ex* Gallia *in vicina* Belgii *oppida delata, parem hic tumultum rebellionemque pepererunt, ac sensim plerasque provincias pervaserunt, sed ex toto XVII. provinciarum numero præcipuè septem pertinaciter occuparunt, in quibus sub* fœderati Belgii *nomine, ea secta hactenus dominatur, usque adeò ut in* synodo Dordracena, *quæ an.* 1618. *in iisdem provinciis à Calvinianis celebrata fuit, in caussa* Gommaristarum *adversùs* Arminianos, *pro illis contra hos,* rigidus *Calvinismus solemni decreto fuerit comprobatus & stabilitus.*

Schisma Anglicanum.

Fidem Christi jam inde ante finem sæculi secundi, sub *Eleutherio* Papa, Britannia amplecti cœperat, cùm ad eamdem insulam, sub finem sæculi sexti *S. Gregorius Magnus* misit *Augustinum*, Melitum, & alios ex Ordine S. Benedicti monachos, qui Anglo-Saxones, à quibus major regionis pars fuerat occupata, à Paganismo ad Christianam religionem traducerent. Ab eo tempore per annos ferè mille, in orthodoxa fide Anglia perstitit, ac singularem præ reliquis populis, erga Beati Petri sedem (*a*) devotionem testificata est, donec eam *Henricus VIII.* à Romani Pontificis obedientia, totiusque Ecclesiæ Catholicæ communione divulsit. Princeps erat multis à natura dotibus instructus, cujus felicia & gloriosa fuere initia, quique edito contra Lutherum luculento opere, A. 1521. à Leone X. *Defensoris Fidei* titulum meruerat, qui quidem titulus, successoribus ejus tam speciosus visus est, ut eum etiam in schismate & hæresi retinendum sibi esse judicaverint. At Henricum, hæc præsertim tria egere præcipitem: dispar conjugium, perversum consilium, pravæque libidinis affectus indomitus.

Duxerat *Arthurus*, * Henrici frater natu major, *Catharinam* Arragoniam Ferdinandi Hispaniarum regis filiam, quam, ut constans fama est, Virginem intactamque reliquit; certè *A. 1500.

(*a*) *Solvendo quotannis per singulas domos, singulos argenteos: quod tributum, seu voluntaria oblatio, in honorem B. Petri*, Denarius Petri *vocabatur, & ab* Inæ *regis tempore per annos ampliùs* 800. *persolutum fuit.*

certè deceffit fine liberis. Hanc, firmandæ inter Anglos & Hiſpanos concordiæ, *diſpenſante* Julio II. *Henricus* à morte fratris uxorem duxit. Huic 22. annis conjugaliter convixit, ex eaque Mariam filiam genuit. Cùm verò caſtiſſimæ & piiſſimæ fœminæ mores Henrici moribus parùm admodum congruerent, ſubrepſit faſtidium, & à (*a*) *Thoma VVolſæo* facilè ſibi perſuaderi paſſus eſt, conjugium ſuum velut inceſtuoſum, diviniſque adeò legibus contrarium, in irritum vocari poſſe. Verùm potentius ei ad hoc incentivum præbuit indomitus libidinis affectus, quo in *Annam Bolenam* ferebatur, cujus captus illecebris, poſt diuturnas controverſias, invito *Clemente VII.* Papa, cum legitima conjuge divortium tandem fecit, A. 1533. Ob id Romani Pontificis (*b*) ſententia notatus, ſe cum omni regno ſuo ab ejus communione disjunxit, principatum Eccleſiæ Anglicanæ ſibi vindicavit, Papæ nomen, ubicumque

(*a*) Thomas VVolſæus, *ex infima fortuna (erat enim Lanionis filius) dexteritate ingenii & induſtria ad ſummum quoddam faſtigium honoris aſcenderat, Cardinalis, Archiepiſcopus Eboracenſis & totius regni adminiſter. Deerat tantùm ſupremus Pontificatus, quem vir ambitioſiſſimus, ope* Caroli *Cæſaris ſibi pollicebatur. Ea ſpe fruſtratus ſemel atque iterum, & à Cæſare ſe jam contemni ratus, ſtatuit modis omnibus ulciſci injuriam. Eò conducere viſum eſt, ut regi perſuaderet Catharinam, Caroli materteram, repudiandam eſſe. Sed juſto Dei judicio perverſi conſilii eum fructum tulit, ut regis iram incurrerit, jamque captivus, morte, quam ipſi morbus attulit, prævenerit ſupplicium, quod ei imminebat. m. 1531. æt. 60.*

(*b*) *Deciſio* Clementis VII. *qua priores Henrici nuptias confirmavit, poſteriores verò cum Anna Bolena velut adulterinas reprobavit. Ideòque regem contumacem anathemati ſubjecit; perpetuum erit monumentum, non ſolere Eccleſiam adulari affectibus principum, nec probare actiones eorum, quæ cum ſcandalo ſint conjunctæ.*

cumque extaret, stulta crudelitate persequi & exterminare constituit, denique ordinandæ præscribendæque religionis jus omne sibi, ut istius Ecclesiæ capiti, arrogavit.

Omni exin humanitate exuta, factusque decem postremis vitæ annis princeps omninò sanguinarius, quotquot ab nefariis istis consiliis abhorrerent, summos etiam illustresque viros, affecit supplicio. In his *Thomam Morum* regni antehac Cancellarium, virum probitate & eruditione tota Europa spectatissimum, ac *Iohannem Fisherum* Roffensem Episcopum, præsulem sanctissimum æquè ac doctissimum, (quem, cùm in carcere detineretur, Clemens Papa purpura condecoraverat) A. 1535. gladio subjecit. In alios promiscuè sævitum est, Lutheranos æquè ac Catholicos. Eventu patefacta est plurimorum inconstantia, aut infirmitas, cùm major etiam cleri pars, adulatione, aut metu, regi assentiri visa est, ejusque primatum agnoscere. At non defuerunt martyres, primis sæculis digni. Externa religionis facies nondum hactenus admodum immutata. Præscribebat Henricus fidei dogmata, sed conformia ferè doctrinæ Catholicæ. A. 1539. sex articulos publicavit, contrarios è diametro hæresi Lutheranæ, quos pœna mortis proposita, ab omnibus toto regno tenendos esse sancivit. Ceterùm monasteria supprimere, eorumque opes ac facultates vel deprædari, vel regni proceribus, quo eos sibi arctiùs adstringeret, vili pretio adjudicare aggressus est.

Duobus præcipuè usus est suæ tum reformationis tum crudelitatis instrumentis, qui ambo funestum habuerunt exitum. Alter fuit *Thomas Cromvvellus*, homo laicus, non aper-

aperta quidem professione, sed jam tum animo Lutheranus, aut Zvvinglianus. Hunc, A. 1535. suum in spiritualibus *Vicarium Generalem*, & cœnobiorum visitatorem constituit: sequenti autem anno, eumdem suum toto regno *vicesgerentem* designat; quo munere is insigni crudelitate perfunctus, *Hæreticus* tandem est judicatus est, jussuque regis ultimo supplicio affectus.

Alter erat *Thomas Crammerus* Archiepiscopus Cantuariensis, qui regnante *Maria* adulationis suæ, simulationis atque perfidiæ, justo Dei judicio, pœnas dedit. Hic Lutheri dogmata, inscio rege, amplexus, rebusque adeo novandis intentus, An. 1530. regis conjugium, ut ei gratum faceret, edito libro, impugnavit. Romam ab Henrico missus, ut divortium apud Pontificem promoveret, simulationem eo usque provexit, ut à *Clemente VII.* ad Pœnitentiarii munus assumptus sit. In patriam rediens, per Germaniam iter instituit, ubi, tametsi presbyter esset, sororem Andreæ * *Osiandri*, cujus inter Lutheranos ob novi dogmatis inventionem celebre nomen est, uxorem duxit; quas tamen nuptias, ne regis iram indignationemque incurreret, solertissimè, quamdiu Henricus vixit, celare studuit. Defuncto *VVilhelmo VVarhamo* Cantuariensi præsule verè Catholico, An. 1533. ejusdem sedis Archiepiscopus nominatur: confirmationis diploma à Papa accipit, juratque de more fidelitatem Pontifici, quantumvis hostilem in eum animum, jam tum gereret, essetque toto corde Lutheranus. Mox, quod abnuebat Pontifex, regis cum Catharina nuptias irritas declaravit, sumpto in hoc ipsum titulo Legati Apostolici. Post quinque dies ratum denuntiat Henri-

* *M. 17. Octo. 1552. ætat. 54.*

Henrici conjugium cum Anna Bolena, quod jam ab anno superiore clanculum fuerat celebratum. Cùm emanasset Clementis contra Henricum sententia, regis furori per omnia obsecundans, primatum ejus Ecclesiasticum, rem omnibus retro sæculis inauditam, impia adulatione agnovit, promovit, totamque auctoritatem Episcopalem, divina Jesu Christi potestate sancitam, in schismatici regis redegit servitutem: Ejusdemque libidini & affectibus ut vile mancipium perpetuo serviens, quas etiam postea irritas rex voluit nuptias cum Anna Cliviensi, futili obtentu irritas declaravit. Quinque post Catharinam Arragoniam Henricus duxit uxores, quarum ferè omnium sors fuit repudium, (a) aut infame supplicium. *Crammerus* interim in regis gratiam, contra suam ipsius conscientiam, pergebat frequentare cultum omnem exteriorem Ecclesiæ Catholicæ, totisque annis tredecim, celebrare *Missam*, quam cum protestantibus suis abominabatur; donec Henrico mortuo, sub *Eduardo* larvam deposuit, quodque tot annis absconderat, cum nihil ultra esset quod metuerer, apertè professus est. Hujus viri perpetua hypocrisis & adulatio, atque Henrici regis libido indomita, gemina fuerunt fundamenta, quibus tota

(a) Anna Bolena *an.* 1536. *paucis post Catharinæ obitum mensibus, ob adulteria incestumque cum fratre, securi percussa est. Ex hac nata est* Elisabeth. *Ex* Joanna Seymera *genuit* Eduardum *materque, exciso fœtu, in partu moriens prævenit infamiam, seu repudii, seu supplicii.* Anna Cliviensis *an.* 1540. *successit, eodemque anno repudiata est. Surrogatur* Catharina Hovvard, *quæ ob infamia commercia capite plecti jussa est. Postrema,* Catharina Parræ, *cùm Lutheranæ doctrinæ addicta esset, parum admodum abfuit, quin eadem sorte uteretur qua præcedentes.*

tota reformatio Anglicana superstructa est. At quidquid in fidei negotio *Henricus* statuit, hoc ipsum, ne ullum novitatis probrum abesset, liberi ejus *Eduardus & Elisabetha* alternatim everterunt, judicantes sibi liberum esse, ut eadem, qua pater cœperat, potestate, aliter atque aliter Ecclesiam ordinarent, novumque identidem Euangelium concinnarent.

Henrico, funesto schismati quod conflarat, immortuo, successit A. 1547. *Eduardus* filius, puer vix novennis, cujus nomine, & *Protectoris* titulo, regni administrationem invasit avunculus ejus *Eduardus Seimerus*, tunc Herfordiæ comes, paulo post à seipso Somerseti dux creatus. Hic cum esset Zvvinglianus schismati hæresim adjunxit, adjutoremque per omnia nactus est *Crammerum*, quo adnitente tota religionis facies immutata, Ecclesia magis magisque in servitutem redacta, Episcopalis potestas precaria reddita, & à regis nutu pendere jussa est.

Serenior, sed heu nimiùm brevis, rerum facies illuxit Angliæ, cùm A. 1553. *Maria*, princeps verè Catholica, pulsa usurpatrice *Joanna Suffolkia*, vacantem Eduardi morte thronum occupavit. Mirum dictu quam citò cultus Catholicus, sedisque Apostolicæ obedientia fuerit restituta. At severitas non defuit, quam inter multos *Crammerus* expertus est. Is A. 1554. ut perduellis & hæreticus in carcerem conjectus, Episcopatu dejectus, damnatusque, ignavi & inconstantis animi luculentum specimen dedit, cum, spe vitæ conservandæ, errores Lutheri ac Zvvinglii semel atque iterum ejuravit, quod cum inutiliter à se fieri perspiceret, (quippe incendio nihilominus periturus) quasi

quasi vel ulturus injuriam, vel nomen *Martyris* aucupaturus, iisdem, quos bis damnaverat, erroribus inhærere se velle professus est.

Nupserat Maria *Philippo II.* Hispaniarum regi, cujus auctoritate & potentia res Catholica, in Anglia nitebatur. Sed, Deo ita volente, decessit sine liberis 17. Nov. An. 1558. Successit *Elizabetha*, mulier si qua unquam politicis artibus instructissima. Huic nova religio placuit, velut ingenio suo ad libertatem effuso, longè præ Catholica congruentior, eique in Britannia stabiliendæ, quadraginta quinque quos regnavit annos, sedulò consecravit. Primatum Ecclesiæ Anglicanæ, cujus titulum sub regni primordia præ verecundia nonnihil abhorrere videbatur, admisit tandem, ac solerter exercuit, cùm inchoatam deprædationem facultatum Ecclesiæ, impigrè absolvit: religionem Catholicam evertit, & ad antra, cryptasque compulit: religionem *suam* instituit, quæ usque hodie dicitur *Anglicana*; Calvinianam scilicet; sed non puram, in qua Hierarchia, multique ritus servati sunt, quamque ideò, qui in Anglia *Puritani* vocantur aut *Presbyteriani*, velut *impuram* vehementer impugnant. Ceterùm ut non domi tantùm sed & foris, zelum novæ religionis ostenderet, & *Hugonottis* in Gallia, & Calvinianis in Belgio, tumultu & rebellione omnia miscentibus, mittenda curavit auxilia. Hoc porrò lucri in Ecclesiam Catholicam contulit, quod plurimos ei dederit martyres, quorum ut coronæ augerentur, præter tormenta & supplicia vulgaria, cruciatus adhiberi voluit solis tyrannorum temporibus usitatos.

Calvinismus in SCOTIAM jam tum pene-

traverat, cujus perturbatiſſimi regni habenas id temporis moderabatur MARIA STUARTIA. Tragicos hujus Reginæ eventus; pauci ſunt qui ignorent. Perfidiâ Henrici Stuartii * Comitis Morræi, in carcerem detruſa, evaſerat: fugit in Angliam, ubi A. 1567. contra jus gentium, per annos pluſquam octodecim cuſtodiæ mancipata, tandemque 18. Febr. A. 1587. odio religionis Catholicæ, juſſu Eliſabethæ capite plexa eſt.

* *Qui erat frater ejus ſed nothus.*

Jacobus Mariæ filius, quem invita matre in hæreſi educandum curaverat, A. 1603. jure propinquitatis Eliſabethæ ſucceſſit; primuſque tria ſimul magnæ Britanniæ regna conjunxit, quæ in ſchiſmate & errore detinuit. Hujus filius *Carolus I.* cùm introducere vellet in Scotiam Liturgiam Anglicanam, agentibus Presbyterianis res in ſeditionem verſa eſt, tamdemque An. 1649. inaudito ſæculis retrò omnibus exemplo, rex 26. annos ſuprema regni poteſtate functus, à plebejo ſuæ gentis ordine judicatus & damnatus, atque in ferali pegmate ſecuri percuſſus eſt; quaſi fides per Henricum regem antiqua ſede pulſa, in Carolo ſucceſſore ejus, Apoſtaſiæ crimen, ipſis Anglorum manibus ulciſci voluerit. Anarchiæ & *Cromvvelli* tempora prætereo. Poſt annos XL. A. 1660. *Carolus II.* Primi filius revocatur, & paternum ſolium occupat, quod A. 1685. moriens, *Jacobo II.* fratri reliquit. Hic, quia Catholicam fidem amplexus fuerat, A. 1689. regno & patriâ extorris factus, in Gallias appulit, ubi cùm in ſummo rerum humanarum contemptu, & aſſiduo cæleſtis regni deſiderio, multos annos tranquilla mente peregiſſet, A. 1702. in pace quievit. Cetera auribus oculiſque noſtris expoſita ſunt. At

Deus

Deus meus, æterna veritas & incommutabilis bonitas, qui fieri potest, ut erudita gens, tam sedula patrum & vetustatis indagatrix, in tantæ lucis splendore cæcutire pergat & palpare in meridie? Illuminare Domine, illuminare!

Hodierna Ecclesiæ Certamina.

Non desunt nostro quoque tempore contentiones, dissensiones & bella, quibus, pro more præcedentium sæculorum, exagitetur Ecclesia. LXXX. jam, & amplius, annis, Jansenianis turbis & cavillationibus materna ejus viscera discerpuntur. His viam prior aperuit (a) Michael Bajus, qui ex B. Augustino multùm lecto, sed parùm feliciter intellecto, nova quædam Theologicis tractatibus dogmata interspersit, à mente Ecclesiæ prorsus aliena, quæ contentiones primum haud modicas, gravesque in Belgio animorum motus excitarunt, ac tandem die 1. Octobris A. 1567. à Sanctissimo Pontifice *Pio V.* septuaginta novem articulis damnata sunt, id quod successor ejus *Gregorius XIII.* A. 1579. die 29. Januarii novo diplomate confirmavit. Hoc Lovanium attu-

(a) *Natus Melini in territorio Athensi ann.* 1513. *Theologiæ Doctor Lovanii renuntiatur Anno* 1550. *Regius SS. literarum Professor designatur à Carolo V. an.* 1551. *ad Concilium* Trident. *unà cùm* Joanne Hesselio (*quocum novam viam tentare, & ad novitates declinare cœperat*) *mittitur à Philippo II. an.* 1563. *judicante* Comendono *id expedire, ut illic à novitatibus uterque deterreretur, an.* 1575. *fit* Bajus *Decanus S. Petri, ac triennio post privilegiorum conservator. Moritur* 16. *Sept.* 1589. *Ætat.* 77. *an.* 1587. *magnam partem habuit in celebri* Censura Lovaniensi *contra articulos* Lessii *atque* Hamelli.

attulit, rituque solemni publicandum curavit *Franciscus Toletus* Soc. Jesu Theologus, Pontifici, tunc à concionibus, posteà S. R. E. Cardinalis. *Bajus* agnoscit ex rejectis articulis multos à se traditos eo sensu quo damnabantur, omnesque jure fuisse damnatos. Cæteri acquiescunt, articulos damnant, Bullam reverenter suscipiunt, atque obedientiam pollicentur. Facultas Theologica Lovaniensis, exigente id *Joanne Bonhomo* Episcopo Vercellensi, & per utramque Germaniam Nuntio Apostolico, per *Joannem Lensæum* An. 1585. doctrinæ formulam concipiendam curavit, quæ in hisce rebus Sedis Apostolicæ judicio congrueret, damnatisque sententiis ex adverso consisteret.

At non defuerunt discipuli, quorum animis doctrina Magistri, quam hic respuerat, altiùs insederat, quàm ut tam facilè erui posset. In his numerari solet *Jacobus Janssonius*. Amstelodamus, quem constat Baji alumnum fuisse præ ceteris longè charissimum. Huic verò alumnus ac discipulus obtigit CORNELIUS JANSENIUS (*a*) Leerdamensis, qui *Janssonium* * ut parentem observabat, & apud quem penè filii loco erat. Baji, dogmatumque

* Valer Andr. *in Biblioth. Belg.*

(*a*) *Natus in Acquoy, qui est pagus Leerdamo vicinus, die 28. Octob. 1585. humanioribus literis operam dedit* Ultrajecti *anno* 1604. *primam Lovanii Philosophiæ palmam retulit in pædagogio falconis. Post aliquot annos studii Theologici, Gallias petiit, ubi singularem contraxit amicitiam cum* Joanne *Vergerio Abbate* Sancyrano, *hæsitque annis aliquot partim Lutetiæ, partim Bajonæ. Theologiæ Doctor Lovanii renuntiatur ann.* 1617. 14. *Octobr. Sacrarum literarum Professor ann.* 1630. *Bis ab Academia ad Philippum IV. in Hispanias ablegatur. Edit* Martem Gallicum. *Nominatur Episcopus Iprensis* 28. *Octob* 1635. *Anno sequenti pari die consecratur. Peste extinguitur die* 6. *Maji* 1638. *Constans apud* Iprenses *tra-*

que ejus amor & veneratio facilè à Magistro in discipulum derivari potuit; hoc constat, Jansenium nonnulla ex iis, asserenda ac tuenda suscepisse, in eo opere quod *Posthumum* reliquit, cuique nomen esse voluit, *Augustinus*. Cùm Bullas Pii V. & Gregorii XIII. sibi objiceret, *Hæreo*, *Fateor*, inquiebat, *sed quid ad doctrinam S. Augustini?* Hunc unum ferè è SS. Patribus, teste *Liberto Fromondo*, vitæ suæ ducem studiorumque Magistrum, sibi Jansenius delegerat. Ejus opera omnia, ferè decies, libros verò de gratia divina & libero arbitrio plusquam tricies à capite ad calcem, decerptis, & in adversaria per classes distributis, quæ in rem videbantur, evolverat; eo sibi scopo proposito, ut puram S. Augustini de gratia Christi doctrinam, quam annis minimùm quingentis, à Scholis passim omnibus exulasse credebat, postliminio revocaret: sed infelici planè successu. A *Veritate*, quam, teste *Fromondo*, assiduè inclamabat, infaustus liber, Ecclesia judice, longissimè aberravit. In hoc opus, interim annis XXII, summa animi contentione incubuit; clam tamen, & solo ferè conscio *Abbate Sancyrano*. Jam tum varias animo præsagiebat procellas, quas literis suis, ad præfatum Abbatem datis, identidem significabat, adjungens, eo magis se terreri, quo in hoc opere longiùs progrederetur: doctrinam, quam meditabatur, stuporem plerisque incussuram: futurum facilè ut tamquam delirus,

Ex Epp. Jansenii ad Sancyranum.

ditio est, Jansenium morti vicinum mandasse Sanctimoniali, quæ ægrotanti ministrabat, adferret sibi infelicem librum, compositum quidem, at nondum typis excusum, in ignem, ut creditur, conjiciendum: hunc non fuisse repertum, ipsam autem Jansenium paulo post extinctum.

liras, ac somniator insignis audiat: credere tamen se, rem tantam à Deo speciali consilio promoveri. Magna nihilominùs prudentia ac circumspectione opus fore, magnoque potentum favore; cœtus quoque religiosos, si in eandem sententiam adduci queant, magno præsidio esse posse. Ita grande illud volumen, pertinaci studio, stiloque minimè barbaro, conscriptum fuit, ac in tres tomos distributum, in quo magna ubique relucet veritatis è tenebris erutæ præsidentia, acerrima alienarum opinionum Censura, apertusque *Scholasticorum* omnium contemptus. Infelix opus vixdum absolutum, moriens legavit Jansenius Presbytero * cuidam domestico suo, ea lege, ut typis mandandum curaret, re priùs communicata cum *Liberto Fromondo*, suo in sacrarum literarum professione Lovanii successore (quem ferè ibi unicum in interioris admissionis amicis habuerat) & cum *Henrico Calena* Archidiacono Mechliniensi. „ Sentio, inquiebat, difficulter aliquid mutari posse: si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum. „ Hujusmodi verba submissionis plena, in ipsomet opere, * semel atque iterum repetuntur, atque aliunde certum est Jansenium, tum in Thesibus, quas pro adipiscendo magisterii gradu * propugnavit, tum in Commentariis * in Evangelistas, in Sede Apostolica agnovisse auctoritatem falli nesciam in iis quæ ad fidem moresque pertinerent.

* *Cappellano suo* Reginaldo Lameo.

* *Lib. Proœm. c.* 29. *& in Epilogo.*

* *9. Octobr.* 1617.

* *In Cap.* 22. *Luc.*

Si in hac Jansenii sententia sectatores ejus perstitissent, Ecclesia jam pridem liberata fuisset atrocibus illis contentionibus, funestisque

ftisque dissidiis, quibus usque hodie agitatur. Verùm illi viam cavillationis, dissimulationis, ac apertæ demum rebellionis ingressi sunt, & jam apud Batavos, in apertissimum schisma proruperunt. Nobis satis erit in præsentiarum eorum cæcitati & pertinaciæ apud Deum ingemiscere & in gratiam lectorum in his rebus minùs versatorum, seriem chronologicam texere rerum hac in parte gestarum, ac præsertim Decretorum, quæ à Sede Apostolica emanarunt.

In lucem prodiit infelix Jansenii liber, cui nomen *Augustinus*, * anno 1640. biennio postquam ille è vivis excesserat. Mox vehementer impugnatus, Romamque delatus, damnatur ab *Urbano VIII.* die 4. Martii 1641. Bulla *In Eminenti*, idque duplici ex capite: primùm, quod contra iteratam Sanctæ Sedis prohibitionem, liber iste, qui de auxiliis divinæ gratiæ ex professo tractaret, sine obtenta ad hoc venia, fuisset emissus in lucem. Secundò, quòd ex matura ejusdem libri lectione compertum fuisset, multas ex propositionibus à Summis Pontificibus ante hac damnatis, in eo contineri, & magno cum catholicorum scandalo, & auctoritatis Apostolicæ contemptu, contra præfatas damnationes & prohibitiones defendi. Hac Urbani Constitutione contentiones adeò sopitæ non sunt, ut in Gallia & Belgio vehementiùs exarserint. Inter alias Jansenii opiniones, quæ dissidiorum materiam ministrabant, quinque potissimùm excerptæ sunt, quæ novam libri ejus doctrinam quodam veluti compendio continerent, suntque celebres illæ propositiones *Jansenii*, quæ omnibus vulgo notissimæ sunt. Has 85. Galliarum Episcopi tamquam atrocis discordiæ se-

* *Lovanii typis* Jacobi Zegers, *mox etiam Rhotomagi, & Parisiis.*

getem (*a*) An. 1650. ad *Innocentium X.* detulerunt, enixè flagitantes ut de unaquaque earum certam ac perspicuam sententiam ferret. Post examen plusquam (*b*) biennale, ea diligentia institutum qua major desiderari non potest, auditis etiam iis, quos defensores eorumdem articulorum in caussæ suæ patrocinium Romam ablegaverant, prodiit An. 1653. die 31. Maji, *Innocentii X.* constitutio, qua quinque propositiones, ut hæreticæ, reprobantur.

Hactenus prædictas propositiones, Jansenianæ doctrinæ epitomen esse, ultro agnoverant, easdemque omninò orthodoxas esse, nervis omnibus contenderant, Jansenii defensores. Hac jam parte prostrati, ac nihilominùs fixum animo habentes, doctrinæ quam tueri cœperant, præfractè adhærescere, mutata acie, ad versutias cavillationesque conversi sunt, asserentes damnatas quidem meritò fuisse propositiones, sed sensu prorsus alieno à mente & doctrina libri Jansenii; hanc proinde salvam esse & incolumem. Ab eo tempore, Janseniana hæresis, in Galliis præsertim serpens, quam Innocentius X. ferè oppresserat, ad instar colubri tortuosi, cujus caput attritum est, per varios gyros & cavillationum deflexus, pondus auctoritatis, qua damnabatur,

(*a*) *Easdem ann. 1649. die 1. Julii ad facultatem Theologicam Parisiensem detulerat* Cornetus, *ejusdem facultatis Syndicus.*

(*b*) *In Congregationibus 36. coram* IV. Cardinalibus, *viris doctissimis & integerrimis*; Consultoribus XIII. *Theologis ex omni ordine selectis, quorum quatuor contendebant famosas Propositiones in sensu proprio & naturali catholicas esse & orthodoxas. Decem ultimis Congregationibus, quarum qualibet ad horas quatuor extendebatur, ipse* Innocentius *Papa summa cum patientia interfuit.*

tur, effugere conata est. Hujusmodi tricis & effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, 52. annis vexata fuit Ecclesia, remedium frustrà adferre tentantibus summis Pontificibus, donec Clemens XI. renascentia hujus hydræ capita stirpitus excidit. Reprimere eos cœpit idem, qui memoratam constitutionem ediderat, Pontifex *Innocentius X.* (*a*) damnatam asserens in quinque propositionibus, *Cornelii Jansenii doctrinam in ejus libro contentam*, cui titulus *Augustinus*. Acriùs rem urgere instituit *Alexander VII.* qui constitutione edita A. 1656. die 16. Octobr. adversùs illos *publicæ tranquillitatis perturbatores*, quos *filios* quoque *iniquitatis* vocat, vehementer insurgens, declarat quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus*, excerptas ac in sensu ab eodem Cornelio intento, damnatas fuisse, iterumque à se damnari, addens rem totam in præcedentibus, quibus se * interfuisse testatur, congressibus, ea diligentia discussam fuisse, qua major desiderari non posset.

* *Tunc Cardinalis, nomine* Fabius Chigius.

Subinde verò, quo omnis Apostolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, idem Alexander Pontifex, priscum Ecclesiæ morem secutus, certam edidit *Formulam* ab omnibus Ecclesiastici ordinis, tam sæcularibus quàm regularibus personis subscribendam, per aliam suam hac in re promulgatam constitutionem, die 14. Febr. A. 1664. existimans nullum aliud opportu-

(*a*) *An. 1654. die 28. Martii, literas ad Innocentium dederant Episcopi Galli indicantes multos esse qui assererent, damnationem quinque propositionum nihil ad Jansenium pertinere. Respondit Pontifex eodem anno 29. Sept. id quod in textu expressum est.*

portunius remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse.

Ex Bulla: Vineam Domini Sabaoth.

Sic equidem caussa finita est; non tamen sic, ut par erat, finitus est error, Apostolico toties mucrone percussus. Nec enim defuere homines veritati non acquiescentes, & numquam Ecclesiæ contradicendi finem facientes, qui vana *Juris* & *facti*, aliisque distinctionibus, seu potiùs effugiis ad circumventionem erroris excogitatis Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quæstionibus, quantum in ipsis est, involvere & implicare conarentur, quodque deterius est, ipsamet Apostolicæ Sedis decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac præsertim quasdam *Clementis Papæ IX.* die 19. Januarii 1669. ad (*a*) quatuor Galliæ Episcopos, nec non binas *Innocentii Papæ XII.* die 6. Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii, in forma Brevis, respective datas literas, in erroris sui patrocinium advocare non erubescerent, cùm præfati Pontifices, prædecessorum suorum Innocentii X. & Alexandri VII. constitutiones in suo robore fuisse & esse, seque illis

(*a*) *Qui erant Alectensis; Apamiensis; Henricus Andegavensis, Ant. Arnaldi frater; & Bellovacensis. Cùm hi pertinaciùs inhærerent distinctioni* Juris & Facti *de canonico adversùs eos* judicio, *seriò agi cœptum est. Scripserunt pro illis ad Regem, atque ad Clementem IX. Pontificem, XIX. alii Episcopi Galliæ, quos in partes suas isti pellexerant. Res tandem composita, quatuorque Episcopi ad reconciliationem admissi sunt, post quam novam Alexandrinæ formulæ subscriptionem iidem antistites & exhibuissent ipsi, & diœcesanis suis imperassent, persuasumque esset Pontifici ab iis, qui mediatorum officio fungebantur, quatuor Episcopos optima fide egisse, eosque damnasse, & à suis damnari jussisse quinque propositiones, sincerè absque ulla exceptione, seu restrictione, in eo omni sensu, quo sunt ab Ecclesia damnatæ.*

illis firmiter inhærere, verbis apertissimis asseruissent.

Cùm porrò iidem inquieti homines, sparsis undique scriptionibus ac libellis, exquisita ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria, maximoque totius Ecclesiæ scandalo, docere pergerent, ad obedientiam præfatis Apostolicis constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janseniani libri sensum, in antedictis quinque propositionibus damnatum, *interiùs* ut hæreticum damnet; sed satis esse, si de ea re *obsequiosum* (ut ipsi vocant) *silentium* teneatur: eòque etiam impudentiæ devenissent, ut assererent, præfatæ formulæ ab Alexandro VII. præscriptæ, subscribi licitè posse, etiam ab iis qui interiùs non judicant, prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri, quique adeò nihil aliud quàm simulant, parere se velle Constitutionibus Apostolicis, quibus animo contradicunt; hanc erroris occasionem penitus præcidere volens Clemens XI. Bulla, quæ incipit: *Vineam Domini Sabaoth*, data die 16. Julii 1705. prædecessorum hac de re constitutiones confirmavit, approbavit, & innovavit, simulque declaravit, obedientiæ, quæ iisdem debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri; sed damnatum in quinque præfatis propositionibus *Janseniani libri sensum*, quem *illarum verba* præ se ferunt, ab omnibus Christi fidelibus, ut *hæreticum*, non ore solùm, sed & corde rejici, ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate, supradictæ formulæ subscribi licitè posse.

Clerus Gallicanus in comitiis generalibus eodem Ann. 1705. Lutetiæ congregatus, hanc Clementis XI. constitutionem solemniter-

mniter promulgandam, plenaque cum obedientia ab omnibus recipiendam curavit, datis ad ceteros Galliæ Episcopos encyclicis literis, die 14. Sept. ejusdem anni exaratis. Omnes toto regno Episcopi obsecuti sunt, alibique etiam unanimi consensu recepta est, paucis tantùm tenebrionibus obstrepentibus. At inter hos unus (*a*) inventus est, qui eo proterviæ, furoris atque vesaniæ deveniret, ut præfatam Clementis Bullam, Kal. Junii A. 1709. universæ Ecclesiæ denuntiaret, „ velut inimicam gratiæ Dei, ut fautricem Pelagianæ superbiæ, ut calumniatricem insignis Episcopi, cum eximiæ eruditionis laude & odore Sanctitatis in Ecclesiæ gremio vita functi; ut destructricem hierarchici ordinis, per ea quæ extorqueri mandat perjuria; ut omnis boni obtruncatricem, omnis mali iliadem; animarum ruinam, salutis excidium; apertamque & inevitabilem Ecclesiæ stragem. " Reliqui Jansenianis partibus addicti, professam hujus audaciam minùs probare visi sunt. Consueta disputationis & cavillationis via tutior iis visa est, inter quos (*b*) PASCHASIUS QUESNELLUS, qui in defuncti ANTONII ARNALDI locum succedens, ab anno 1694. factionis hujus caput & antesignanus evaserat, præcipuas partes gessit.

Hic

(*a*) *Fuit is* Ægidius de VVite *Presbyter, Gandensis natu, Pastor quondam B. Mariæ Mechliniæ, unde ob Jansenismum se recepit in Hollandiam, ubi à paucis annis obiit. Edidit Sacrorum Bibliorum versionem Belgicam, elegantem quidem, sed merito reprobatam.*

(*b*) *Natus est Parisiis* 14. *Julii* 1634. *Oratorium Gallicanum à Cardinale Berullo institutum ingressus, A.* 1657. *Edidit an.* 1675. *Opera S. Leonis Papæ, una cum Scholiis & dissertationibus, quæ* 22. *Junii* 1676. *Romæ prohibita fuere, ann.* 1678. 26. *Sept. decretum.*

Hic ille est QUESNELLUS, cujus liber & propositiones à Sede Apostolica damnatæ, terribiliorem adversùs Ecclesiam tempestatem excitarunt, quæ satis hactenus sedari non potuit. Librum quemdam *Considerationum moralium in novum Testamentum*, Gallico idiomate edidit in plures tomos distributum, auctum sæpè, sæpiusque typis excusum, cùm Lutetiæ, tum alibi, præsertim verò annis 1693. 1694. & 1699. Hunc, quia splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuat, & catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariàm permiscet, generatim primùm prohibendum esse censuit *Clemens XI.* anno 1708. verùm cum liber iste tamquam ab omni errore immunis haberi, ac ingenti studio quaquaversum disseminari pergeret, idem Pontifex & Pastoralis curæ suæ stimulis, & frequentibus orthodoxæ fidei zelatorum querelis,

fuit in Comitiis generalibus Oratorii Gallicani, certam formulam ab omnibus subscribendam fore adversus Baji Janseniique doctrinam. Renuit Quesnellus: Parisiis discedit Aureliam: hinc an. 1685. migravit in Belgium, & Bruxellas *advenit 25. Februarii, ubi una cum* Ant. Arnaldo *delituit sæpe in veste Laica, usque ad an. 1690. Extrà simul ambo compulsi, Delphos petierunt: inde in tractum Leodiensem concesserunt, ac post sex menses Bruxellas redierunt. Mortuo Arnaldo 8. Aug. 1694. pergit Quenellus in eadem urbe delitescere. Deprehensus, jussu* Humberti Guilielmi *Archiepiscopi Mechliniensis, ob varia accusationum capita, præcipuè ob hæresim Jansenianam, die 30. Maji 1703. in palatio Episcopali captivus recluditur. Nocte inter 11. & 12. Septembris ejusdem anni, amicorum ope evadit, effracto per subornatos homines pariete. Mox fugit in Hollandiam, ubi in Janseniana caussa defensionem, uti jam pridem facere instituerat, innumera penè scripta edere perrexit. Damnatum librum suum, excerptasque ex eo propositiones, ad mortem usque defendit, atque in ea pertinacia Amstelodami obiit 2. Decembr. 1719. Æt. 85.*

relis, maximè verò complurium Galliæ Episcoporum literis ac precibus excitatus; piis etiam ac sæpiùs repetitis *Ludovici XIV.* Galliarum Regis Christianissimi votis & officiis adductus, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quæque proruere, obviam ire decrevit. Quocirca animadvertens summam hujus libri perniciem ideò potissimùm progredi & invalescere, quòd eadem intus lateat, & velut improba sanies, non nisi secto ulcere foras erumpat, cùm liber ipse primo aspectu, legentes specie quadam pietatis illiciat: nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari à se posse arbitratus est, quàm si fallacem libri doctrinam, *generatim* duntaxat antea indicatam, pluribus ex eo *singillatim* excerptis propositionibus, distinctiùs & apertiùs explicaret, confidens fore, ut denudatis & quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, sed plurimis gravissimisque, tum *pridem damnatis*, * tum etiam *novè adinventis* erroribus, omnes tandem apertæ jam manifestæque veritati cedere compellerentur.

* *Tum in* Bajo *atque* Jansenio, *tum etiam in Decreto* Alexandri VIII. *an.* 1690. *adversùs* 31. *propositiones late.*

Excerptæ sunt propositiones *centum & una*, quas maxima diligentia ac maturitate, omnique studio ac labore (prout rei gravitas exposcebat) iteratis Congregationibus, longoque temporis spatio discussas, examinatas, cumque ipso libri textu accuratissime collatas, reprobandas tandem esse omnes judicavit *Clemens XI.* sub variis *respectivè* censuris, quarum saltem aliquam singulæ mererentur, uti jam pridem in similibus fieri (*a*) consueverat; id quod præstitit celeberri-

ma

(*a*) *In Concilio* Constantiensi, *adversùs propositiones VViclefi, item Joan. Hus*; Leone X. *contra arti-*

ma illa constitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, quam edidit 8. Sept. 1713. Hujus remedii necessitatem, tum memoratus *Ludovicus* Rex, tum plerique ex Gallia Episcopi, iteratis obtestationibus inculcaverant, non aliter suborta dissidia sedari posse constanter affirmantes. *Tota* (*a*) quidem *Christi Ecclesia*, Petrum, per Clementem, loquentem secuta, Apostolicam ejusdem constitutionis doctrinam debito obsequio atque obedientia suscepit: at *Novatores*, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, ex inconsulta *paucorum antistitum* (*b*) hæsitatione, vel pertinacia, ita animos extulerunt, ut incredibili audacia constitutionem ipsam perversè interpretari, & incessere, pravæque etiam doctrinæ, ac immanium errorum, per impudentes calumnias insimulare non erubuerint. Mira inter hæc fuit *Clementis* longanimitas. Nullam lenitatis viam reliquit intentatam, quo dissidentes ad unitatis & pacis consilia revocaret. Obierat A. 1715. mense Septembri *Ludovicus XIV.* cujus, cùm viveret, zelum & potentiam refractarii formidabant. Sub rege minorenni, magis magisque omnia turbabantur. Alii *declarationes*, in rebus apud ceteros satis perspicuis, unicè se postulare simulabant, tamquam verentes, ne per constitutionem, quam universa Ecclesia

Ex literis Pastoralis officii.

culos Lutheri: *à* S. Pio V. *contra Bajanos*: *ab* Alexandro VII. Innocentio XI. & Innocentio XII.

(*a*) *Id à Clemente XI. verissimè dictum esse variis ac luculentis ex omni orbe Christiano testimoniis, quæ typis edita sunt, evidentissimè comprobatum est. Vide librum hac de re Bruxellis editum jussu hodierni Archiepiscopi Mechliniensis an.* 1718. *&c.*

(*b*) *Ex* 48. *Episcopis Lutetiæ an.* 1714. *congregatis,* 40. *constitutionem incunctanter acceptarunt*: 8. *abnuerunt, vel distulerunt, quibus deinceps sex, vel septem alii*

clesia submissa veneratione complexa est, vel catholica dogmata convellantur, vel probata hactenus Ecclesiæ disciplina infringatur, vel salubriores christianorum morum regulæ subvertantur. Alii atrociùs tumultuabantur. Ad (*a*) *appellationes* itum est, ad concilium generale certatim provocatum, exemplo novo, & à solis (*b*) hactenus hæreticis, aut schismaticis, in materia fidei, usitato. Librorum interea & scriptorum quodam veluti diluvio Galliæ replebantur, quibus ad contumaciam & rebellionem populus provocabatur. Ut tot malorum ingruentium gravitati, quantùm rerum & temporum conditio pateretur, Clemens Papa occurreret, literas * edidit 28. Augusti 1718. universis Christi fidelibus inscriptas, quibus cum ingenti cordis mœrore palam edixit ac declaravit, eos omnes, cujuscumque status, gradus, ordinis & conditionis illi sint, qui memoratæ constitutioni debitam & omnimodam obedientiam præstare hactenus recusaverint, vel imposterum recusaturi sint, à sua & sanctæ Romanæ Ecclesiæ charitate prorsus segregatos habitum iri, nullamque deinceps sibi, vel Ecclesiæ Romanæ cum il-

lis

* *Qua incipiunt:* Pastoralis officii.

se junxerunt: ita quidem ut numerus obsistentium, vicenarium quaternum numquam excesserit, idque in sola Gallia; ceteri per orbem Episcopi Bullam hanc ut legem dogmaticam, & indubitatam fidei regulam, sine ulla contradictione susceperunt.

(*a*) *Die 1. Martii 1717. quatuor Episcopi* appellare *cœperunt, Sc.* Mirapiscensis, Monspessulanus, Sanitiensis, & Boloniensis.

(*b*) *Nulla hactenus similis* appellationis *exempla adduci potuere, præterquam* Juliani *Eclanensis, & XVII. cum ipso Episcoporum* Pelagianorum: Michaelis Cesenatis, *hominis apertè schismatici: & Lutheri à Bulla Leonis X. ad Concilium generale provocantis, &c.*

lis communionem Ecclesiasticam exituram, donec rejecta penitus audacia refragandi, per exhibitionem veræ obedientiæ, integrè resipiscant. *Thomas Philippus de Alsatia* Archiepiscopus Mechliniensis, ac nunc etiam S. R. E. Cardinalis, zelo incomparabili, primus Episcoporum, sanctissimi Pontificis dispositionem æmulatus * & executus est, suosque comprovinciales Episcopos, ut paria per Belgium facerent, invitavit & permovit. Inter hæc *Paschasius Quenellus*, contentionum omnium auctor & incentor, Amstelodami, quo se receperat, moritur 2. Decembris 1719.

* *Die 17. Octob.* 1718.

At *Clemens XI.* vir ad labores, & prælia natus, dum refractarios ad officium vehementiùs excitare & adducere parat, A. 1721. mense Februario, humanis rebus eximitur, ad laborùm ac virtutum præmia, justitiæque coronam evocatus. Blandiebantur sibi homines factiosi fore ut plus favoris, aut præsidii, caussæ suæ jam pridem desperatæ, in ejus successore reperirent. Ausi sunt septem (*a*) Episcopi Gallicani die 9. Junii 1721. literas prorsus * schismaticas, in felle amaritudinis, subscriptis etiam auctorum nominibus, exaratas, *Innocentio XIII.* qui Clementi recèns successerat, inscribere; in quibus antecessoris ejus fama & memoria, sempiternis laudibus digna, proscindebatur, Apostolica constitutio calumniosè traducebatur, utraque potestas impudenter contemnebatur, atque hæretico spiritu divina omnia

* *Ex brevi Innocentii XIII. ad Ludovicū XV.*

(*a*) *Franciscus, antehac Ep.* Tornacensis: *Joannes Baptista Ep.* Apamiensis: *Joannes Ep.* Sanitiensis: *Carolus* Joachim *Ep.* Monspessulanus: *Petrus Ep.* Boloniensis: *Carolus Ep.* Altisiodorensis: *Michael Ep.* Matisconensis.

nia & humana miscebantur. Nequid verò ad execrandæ temeritatis argumentum & cumulum deesset, auctoritatem novi Pontificis in partem ac præsidium suæ perversitatis vocare non erubuerunt, quasi integrum esset Apostolicam reformare doctrinam & fidem, quam tota Christi Ecclesia, Petri præconio edocta, firmissimè profitetur, evertere. Ad Apostolicam Sedem perfidia non habet accessum. *Innocentius* decessoris sui premens vestigia, epistolam illam toto corde execratus, eamdem meritis censuris proscripsit, atque damnavit, eaque occasione, die 24. Martii 1722. literas dedit Apostolici spiritus & vigoris plenas ad *Ludovicum XV.* Galliæ regem hodie imperantem, & ad *Philippum* Ducem Aurelianensem regni tunc administrum ac moderatorem, quibus audaciam illam pro merito castigavit atque coercuit.

Plus aliquid præstitit, qui Petri naviculam hodie moderatur, *Benedictus XIII.* Pontifex ipsis etiam Romanæ Ecclesiæ *inimicis*, longæva minimeque fucata sanctitate venerandus, atque in *B. Dominici* familia, angelicæ *S. Thomæ* doctrinæ lacte, enutritus. Hic non modò in literis ad universos Fratres Ordinis Prædicatorum Professores, datas die 6. Novembr. 1724. apertè professus est, errores à fel. record. Clemente XI. per constitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, saluberrimo ac sapientissimo judicio rejectos damnatosque fuisse; verùm etiam in *Concilio Romano*, ad quod præter Sanct. R. E. Cardinales, magnum Episcoporum numerum convocavit, quodque die 25. Octobris anni 1725. publicandum curavit, * omnibus Episcopis & animarum pastoribus, tota, ut hactenus, sollicitudine curandum in-

* *Cap.* 2. *Tit.* 1.

injunxit, ut constitutio à sanctæ memoriæ Clemente XI. edita, quæ incipit *Unigenitus* (quam ut suæ fidei regulam se ait agnoscere) ab omnibus cujuscumque conditionis & gradus, *omnimoda* ac debita obedientia, & executione observetur. Si quem autem cognoverint in suis Diœcesibus permanentem, de constitutione prædicta non bene sentire, aut male loqui, in eum pro sua Pastorali potestate & jurisdictione procedere, & animadvertere non negligant: & ubi remedii efficacioris opus esse senserint, ad sedem Apostolicam pervicaces tales, & *Ecclesiæ rebelles*, deferant. Invigilent etiam, libros contra ipsam constitutionem editos, aut falsas doctrinas in illa damnatas, propugnantes, diligenter perquirere, eosque sibi tradi mandent, Sedi Apostolicæ dein denunciandos.

Hic idem Pontifex turbulentorum hominum temeritatem, qui ad res Ecclesiasticas in partibus HOLLANDIÆ novandas, atque catholicam simul doctrinam & canonicam disciplinam evertendam conspirarunt, egregiè repressit. Postquam *Janseniana* & *Quenelliana* factio, per callidissimas quasdam vulpes è Gallia profugas, florentem hujus Ecclesiæ vineam demoliri & subvertere aggressa est; præfractæ inobedientiæ, apertæque rebellionis vexillum per varios ibi gradus altiùs atque altiùs erectum fuit. Prima mali labes sub *Joanne Neercasselio* Episcopo *Castoriensi* fuit. In pervicacia inchoavit, & finiit successor ejus *Petrus Coddæus* Archiep. Sebastenus. Cùm hic pro meritis ab officio Vicarii Apostolici suprema Sanctæ Sedis auctoritate suspensus fuisset, *Capitulum Ultrajectinum*, aliaque cathedralia centum jam & viginti annis sepulta, in lucem retrahi,

hi, & in subsidium rebellionis evocari cœperunt, novo & inaudito exemplo. Ita homines refractarii, ut suam pervicaciam meliùs tegerent, pravæque doctrinæ semina tutiùs spargerent, jura titulosque ementiti sunt, munerumque Pastoralium larvam induerunt, ut universas, si fieri posset, partium illarum Ecclesias, sibi suisque gregalibus subjugarent. Animabat eos *Paschasius Quenellus*, qui Bruxellis profugus, tutum istic latibulum invenerat, unde scriptionibus & libellis Galliam & Belgium inundaret. Eo probante & suadente, clerici contumaces, potestatis acatholicæ præsidio, adversùs Sanctæ Sedis decreta tueri se cœperunt. Eodem impellente ac modum studiosè præscribente, funestum illud rebellionis instrumentum, quo, in caussa Constitutionis Clementinæ, ab Ecclesia universa ad Concilium œcumenicum provocarunt, verbis concipere, & scripto edere didicerunt. Quin & superbia eorum eò demum temeritatis evasit, ut *septem Clerici*, qui *Canonicorum* nomen jactabant *Vltrajectini* capituli (quod abhinc annis centum & viginti intercidit) *Cornelium Steenhoven* turbulentæ factionis antesignanum, & Ecclesiasticis censuris obstrictum, elegerint * Ultrajectinum falsi nominis Archiepiscopum. Tametsi autem certò & palam * rescivissent, electionem illam à Sancta Sede, cum execratione fuisse rejectam, curarunt tamen atque effecerunt, ut eidem Cornelio die 15. mensis Octobris 1724. per execrabilem sacrorum canonum contemptum, sacrilegæ manus imponerentur. Ausus id fuit *Dominicus Maria Varlet* Episcopus *Babyloniensis*, ab exercitio ordinis Episcopalis jam tum suspensus, minimè assistentibus ex præscripto

* *Die 27. Ap. 1723.*

* *Ex literis Sacri Collegii Cardinalium, Sede Pontificia vacante, datis 8. Apr. 1724.*

pro canonum duobus aliis Episcopis, sed duobus Presbyteris refractariis, fecitque hoc non modò nulla Apostolica dispensatione suffultus, verùm etiam postquam certò constaret, rejectam damnatamque fuisse ab eadem sede Apostolica præfati Cornelii electionem.

Malis hisce obviare conatus est *Benedictus XIII.* literis die 21. Februarii 1725. datis ad universos Catholicos in fœderato Belgio commorantes, quibus electionem omninò *nullam*, eamque consecrationem sacrilegam declaravit ac detestatus est, divinamque refractariis indignationem ob oculos ponere non prætermisit. Eo autem majorem in spem nascentis schismatis supprimendi erectus fuit, quòd brevi antedictum Cornelium, Apostolicæ sedis judicia palàm parvi pendentem, Deus ultionum Dominus, perditarum ovium rationem repetiturus, morte mulctasset. Sed spe sua frustratum se agnovit, ubi rescivit rebelles illos pœnali cæcitate de malis in mala ruentes, ad novam devenisse electionem, ac subinde ad sacrilegam itidem consecrationem *Cornelii Ioannis Barkman* suarum partium Presbyteri, cui inanem rursus Archiepiscopi Ultrajectini larvam imposuerunt.

Hæc tandem omnia *Benedictum XIII.* permoverunt, ut literas die 6. Decembris 1725. ad universos Catholicos in fœderato Belgio commorantes, datas, hoc tenore concluderet: „ Pacis itaque consilia respuentes, „ & sua pravitate præsidia salutis in venena „ vertentes, quibus ulterà charitatis argumentis alliciamus, aut animadversionibus excitemus? insanabilem prorsus esse fracturam eorum ingemiscentes agnoscimus,

„ atque

„ atque id demum nobis superesse, ut Ca-
„ tholicæ matris sinum dilacerare molien-
„ tes, atque huic sanctæ sedi, contumaci
„ inobedientia, apertaque defectione rebel-
„ les, cùm ipsos ad sanam mentem reducere
„ non possimus, saltem à lædendis aliis re-
„ pellamus. In dolore igitur cordis nostri,
„ quod Apostolicæ servitutis & canonicæ
„ providentiæ ratio à nobis postulat, non
„ solùm electionem memorati *Cornelii Joan-
„ nis Barckmam* inanem & omnino nullam,
„ ejusque consecrationem sacrilegam declara-
„ mus, rejicimus, ac detestamur: sed &
„ ipsum Cornelium Joannem, & qui eum
„ ementito Canonicorum Ultrajectensium
„ nomine elegerunt clerici, & qui sacrilegæ
„ consecrationi operam commodarunt; &
„ quicumque iisdem adhæserint: eorumque
„ partes secuti, opem, favorem, auxilium,
„ aut consensum præbuerint, auctoritate
„ omnipotentis Dei excommunicamus, &
„ anathematizamus, atque ab Ecclesiæ com-
„ munione segregatos, & prorsus schismati-
„ cos habendos, & vitandos esse declara-
„ mus, edicimus, & mandamus.

EPI-

EPILOGUS.

BElla atque certamina, quibus singulis quibusque sæculis usque in hodiernum diem, *Christi regnum* agitatum fuit, adjuvante Domino, brevi tabella depinximus. Ex ea prudens lector perspicuè intelligere potuit, regni hujus, inter assiduas oppugnationes, tempestates ac procellas, Imperiorumque sibi succedentium vices, immobilem ac sempiternam esse stabilitatem. Satis etiam, ni fallor, perspicere potuit, regnum hoc, tot semper motibus concussum, ceteris identidem regnis pereuntibus & evanescentibus, per tam longam sæculorum seriem, tanta firmitate stare non potuisse, nisi qua fundatum est omnipotenti manu, eadem jugiter fulciretur. Fundatum utique est supra petram, contra quam, ex veritatis æternæ immobili pollicitatione, nullæ unquam inferorum vires aut machinationes prævaluerunt, nec porro prævalebunt, ut à veritate deficiat. Vidit sanè Ecclesia, præter apertas Ethnicorum persecutiones plurimas, innumeras penè hæreses sectasque in sinu suo exoriri: at vidit etiam plerasque omnes occidere, indubitata *Regis* sui (qui & *Sponsus* ejus est) promissione secura, fore ut illæ quoque quæ usque hodie perdurant, ceterarum more propediem dissipentur, pereatque etiam memoria earum. *Rami* sunt ab arbore avulsi, ignique destinati: at *truncus* integer perseverat, & auctoritate *toti semper orbi conspicua*, sectis omnibus æquè ac singulis supereminere non desinit, velut mons positus in vertice montium, quem

qui

Tertull. de præscr. qui non vident, volentes cæci sunt. Non oportet igitur nos mirari super hæreses istas sive quia sunt, futuræ enim prænuntiabantur: sive quia quorumdam fidem subverterunt; ad hoc enim sunt, ut fides habendo tentationem haberet etiam probationem.

In Dialogo contra Lucifer. Quid superest, benevole lector, nisi ut brevem tibi apertamque, ex *B. Hieronymo*, sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quopiam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas; scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. Ex hoc enim ipso quòd *postea instituti* sunt, eos se esse indicant, quos * Apostolus prænuntiavit. Nec sibi blandiantur: si de *Scripturarum* capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt: cùm *diabolus* de scripturis aliqua sit locutus, & scripturæ non in legendo consistant, sed intelligendo.

* 1. Tim. 4. 1. Juda ℣. 19.

* Ex Vincentio Lirin. in Commonit.

* Ratum ergo sit & indubitatum, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide à patribus accepta sunt, eadem fide filiis consignentur: nosque religionem, non qua velimus, ducere, sed potiùs qua illa ducat, sequi oportere; idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare.

Hoc præ ceteris omnibus constantissimè *sedes Apostolica* præstitit, in qua beatorum Apostolorum stabilis est & numquam interrupta successio; ad quam protegente Deo, perfidia non habet accessum; quæ indefesso hactenus studio invictaque contentio-

ne

ne defendit susceptæ semel religionis integritatem. Huic ergo indivulsa conjunctione adhærescet quisquis *depositum* tutò custodire, profanasque omnes vocum *novitates* perpetuò devitare decreverit.

Tu Deus meus, & misericordia mea, qui me nullis suffragantibus meritis, sed immensa clementiæ tuæ largitate, ad regnum Christi filii tui aggregare dignatus es; tu nosti quanta sinceritate, quanta persuasione, quàm plena animi convictione, hæc à me scripta sint. Gratias tibi, Deus meus, qui illuminasti tenebras meas, & transtulisti me in regnum filii dilectionis tuæ. Enimverò tametsi verè Deus es *absconditus*, teipsum tamen huic paupercula creaturæ tuæ usque adeo manifestare dignatus es, ut citiùs dubitare possum *vivere me* quàm *esse te*, rerumque omnium indesinentem gerere providentiam. At insuper usque ad intimum fundum mentis meæ persuasisti mihi veritas mea, extra unam hanc, in qua tuo munere natus & educatus sum, Ecclesiam Romano Catholicam & Apostolicam, frustrà quæri veritatem. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Confirma fratres meos, qui hæc legere dignabuntur, ut cognoscant te pleniùs, amentque perfectiùs. Illumina eos quoque, qui ab unitate corporis Jesu Christi filii tui infelici divortio segregati sunt, ut dum extra tutissimum Catholicæ fidei portum, diversis cogitationum quatiuntur, verberantur ac penè necantur procellis, excussa in altum elatæ mentis vela deponant, quæ malè novitatum ventis expanderant, seseque intra fidissimam stationem placidæ ac bonæ matris reducant, & teneant: at-

que amaros illos turbulentosque errorum fluctus primitus revomant, ut possint deinceps vivæ & salientis aquæ fluenta potare. Dediscant benè quod didicerunt non benè: & ex toto Ecclesiæ dogmate, quod intellectu capi potest, capiant, quod non potest, credant. Redeant ad unitatem quam reliquerunt, ut deinceps non sint in nobis schismata, sed uno omnes ore te glorificemus Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui es benedictus in sæcula. Amen.

Æternitatem cogita quisquis sapis;
Deo placere, dein juvare proximos,
Ecclesiam protegere, proterere hæreses:
Apud Philipp. Labb. *Hic finis esto, hæc meta studiorum omnium.*

F I N I S.

IN-

INDEX

TITULORUM.

GENERALIS

TEMPORUM NOTIO

AB ORBE CONDITO
usque ad ætatem nostram.

VII. MUNDI ÆTAS.

Pon-

Atha-

Ho-

F I N I S.

AP-

APPROBATIO

CENSORIS APOSTOLICI atque Cæsarei.

EXimius ac Amplissimus Dominus DANES, in Universitate Lovaniensi Sacræ Theologiæ Doctor, Seminarii Episcopalis Iprensis Præses &c. HAC GENERALI TEMPORUM NOTIONE, Historiam Sacram & Profanam tamquam in tabella compendiosè depictam exhibet, simulque ostendit Regnorum terrenorum, quæ sibi succedunt & omnia in interitum vadunt, quanta sit instabilitas: contrà verò Ecclesiæ Catholicæ, in qua CHRISTUS JESUS regnabit in æternum, quanta sit firmitas & stabilitas: quæ, Rege suo protegente, per horrendissimas gentilium persecutiones, ac validissimas, nec non periculosissimas impugnationes, quas adversùs eam portæ inferi per hæreticos suscitarunt, transivit inconcussa, & tamquam Civitas supra Montem posita, toti orbi, fide, authoritate & sanctitate conspicua, omnibus adversariis à dextris & finistris cadentibus, supereminet, sub Regimine Vicarii Christi Romani Pontificis, cui per indi-

vulsam fidei conjunctionem adhærere & obedire, unicum est medium custodiendi depositum, profanasque vocum novitates perpetuò devitandi. Quare opus istud ad Catholicos in fide firmandos & aberrantes ad eamdem revocandos utilissimum censeo. Datum Lovanii 15. Novembris 1726.


G. F. DEQUAREUX *S. Th. L. per inferiorem Germaniam Apostolicus & Regio-Cæsareus Librorum Visitator ac Censor.*

APPROBATIO

ORDINARII.

INfrascriptus sedulo, libentique animo legi opusculum, cui titulus, GENERALIS TEMPORUM NOTIO, in quo, juxta recentiorem receptamque passim Chronologiam, rerum humanarum alternationes, & succedentium sibi Imperiorum Regnorumque vicissitudines tam succinctè & eruditè delineantur, ut ab orbe condito usque in hanc diem vix quidquam memo-

rabile



rabile evenerit, quòd ad quatuordecim Epochas, sub quibus auctor eximius omnia tempora digerit, revocari non possit. Hinc *Generalis* hæc *Notio*, ut ad Historiam Generalem, vitatis *Anachronismis*, viam tutissimam pandit; ita & Theologis omnibus, non modò Candidatis, sed & provectioribus perutilis est; præsertim cum ad *Tabulas Historico chronologicas* summorum Pontificum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, accedat *Religionis Series*, seu bella atque certamina cum Ethnicis & Hæreticis gesta, quibus Ecclesia assidue oppugnata & concussa, in dogmate tamen sibi credito, atque adeo in celeberrimis adversùs Jansenianam hæresim Constitutionibus, ut totidem fidei suæ regulis, inter innumeras rerum omnium vicissitudines, semper eadem, invicta, atque immobilis stetit, Datum Ipris die secunda Decembris 1726.

N. L. DE SCHODT Lib. Censor.

que amaros illos turbulentosque errorum fluctus primitus revomant, ut possint deinceps vivæ & salientis aquæ fluenta potare. Dediscant benè quod didicerunt non benè: & ex toto Ecclesiæ dogmate, quod intellectu capi potest, capiant, quod non potest, credant. Redeant ad unitatem quam reliquerunt, ut deinceps non sint in nobis schismata, sed uno omnes ore te glorificemus Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui es benedictus in sæcula. Amen.

Æternitatem cogita quisquis sapis;
Deo placere, dein juvare proximos,
Ecclesiam protegere, proterere hæreses:
Apud Philipp. Labb *Hic finis esto, hæc meta studiorum omnium.*

F I N I S.

IN-

INDEX

TITULORUM.

GENERALIS

TEMPORUM NOTIO

AB ORBE CONDITO
usque ad ætatem nostram.

VII. MUNDI ÆTAS.

Pon-

Atha-

Ho-

FINIS.

APPROBATIO

CENSORIS APOSTOLICI

atque Cæſarei.

EXimius ac Ampliſſimus Dominus DANES, in Univerſitate Lovanienſi Sacræ Theologiæ Doctor, Seminarii Epiſcopalis Iprenſis Præſes &c. HAC GENERALI TEMPORUM NOTIONE, Hiſtoriam Sacram & Profanam tamquam in tabella compendiosè depictam exhibet, ſimulque oſtendit Regnorum terrenorum, quæ ſibi ſuccedunt & omnia in interitum vadunt, quanta ſit inſtabilitas: contrà verò Eccleſiæ Catholicæ, in qua CHRISTUS JESUS regnabit in æternum, quanta ſit firmitas & ſtabilitas: quæ, Rege ſuo protegente, per horrendiſſimas gentilium perſecutiones, ac validiſſimas, nec non periculoſiſſimas impugnationes, quas adversùs eam portæ inferi per hæreticos ſuſcitarunt, tranſivit inconcuſſa, & tamquam Civitas ſupra Montem poſita, toti orbi, fide, authoritate & ſanctitate conſpicua, omnibus adverſariis à dextris & ſiniſtris cadentibus, ſupereminet, ſub Regimine Vicarii Chriſti Romani Pontificis, cui per indi-

vulsam fidei conjunctionem adhærere & obedire, unicum est medium custodiendi depositum, profanasque vocum novitates perpetuò devitandi. Quare opus istud ad Catholicos in fide firmandos & aberrantes ad eamdem revocandos utilissimum censeo. Datum Lovanii 15. Novembris 1726.


G. F. DEQUAREUX *S. Th. L. per inferiorem Germaniam Apostolicus & Regio-Cæsareus Librorum Visitator ac Censor.*

APPROBATIO

ORDINARII.

INfrascriptus sedulo, libentique animo legi opusculum, cui titulus, Generalis Temporum Notio, in quo, juxta recentiorem receptamque passim Chronologiam, rerum humanarum alternationes, & succedentium sibi Imperiorum Regnorumque vicissitudines tam succinctè & eruditè delineantur, ut ab orbe condito usque in hanc diem vix quidquam memo-

rabile



rabile evenerit, quòd ad quatuordecim Epochas, sub quibus auctor eximius omnia tempora digerit, revocari non possit. Hinc *Generalis* hæc *Notio*, ut ad Historiam Generalem, vitatis *Anachronismis*, viam tutissimam pandit; ita & Theologis omnibus, non modò Candidatis, sed & provectioribus perutilis est; præsertim cum ad *Tabulas Historico chronologicas* summorum Pontificum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, accedat *Religionis Series*, seu bella atque certamina cum Ethnicis & Hæreticis gesta, quibus Ecclesia assidue oppugnata & concussa, in dogmate tamen sibi credito, atque adeo in celeberrimis adversùs Jansenianam hæresim Constitutionibus, ut totidem fidei suæ regulis, inter innumeras rerum omnium vicissitudines, semper eadem, invicta, atque immobilis stetit, Datum Ipris die secunda Decembris 1726.

N. L. DE SCHODT Lib. Censor.

